Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Nicolaus Hunnius

Examen Errorum Photinianorum : Quos illi 1. De Religionis, ac fidei fundamento, 2. De Cognitione Dei, 3. De Nominibus Dei, Hactenus prodiderunt

Wittebergae: Wittebergae: Heiden: Richterus, 1618

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768664373

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768664373/phys_0001
DFG

Ep. 2281
276 p Fnd
Fnd. Or. 144 p

Nr 2. Dupl. Sg. 3209.2

69

Sg-3953 1-3

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768664373/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn768664373/phys_0003
DFG

414

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768664373/phys_0004
DFG

EXAMEN ERRORUM Photinianorum,

Quos illi

1. De Religionis, ac fidei fundamento,
2. De Cognitione Dei,
3. De Nominibus Dei,

Hactenus prodiderunt,
Ex Verbo DEI
institutum

à

NICOLAO HUNNIO D.
Profess. Publ.

Cum Gratia & Privilegio Electoris Saxoniæ.

VVITTEBERGÆ
Ex Officina Iohannis Richteri.
Sumptibus Caspari Heiden
Bibliopol.

Anno M. DC. XVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768664373/phys_0005
DFG

IN NOMINE SACROSANCTÆ, ET individuæ Trinitatis, patris, filij, & Spiritus sancti.

EXAMEN ERRORUM PHOTINIANORUM

CAPUT I.

De *Religionis, ac fidei fundamento.*

QUod conqueritur David, *impios fundamenta evertere*; hoc si unquam de hæreticis, certè de *Photinianis* & verè affirmare possumus, & justè conqueri. Duo in cujusvis objecti consideratione sunt principia; quædam *essendi*, ad ob-

jecti σύστασιν, & essentialem perfectionem facientia: quædam cognoscendi, quorum ductu in rei cognitionem pervenimus. Vtrinq; fundamenta Christianæ fidei subruere laborant Photiniani. 1. Objectum Theologiæ primarium est Deus: hunc in personis trinum negant: hinc Christo non nisi humanam naturam concedunt, officium sacerdotale expiatorium & satisfactorium derogant. Hinc hominem per naturam Theologicè perfectum sentiunt. Sic primo illo essendi principio facto, jam quicquid fermè habet tota Theologia, adeò infringitur, si non prorsus tollitur, ut vix religionis, ac fidei nudum schema residuum maneat, & Theologia magis fiat negativa, quàm affirmativa, quod ipsa controversiarum tractatio sufficienter probat. 2. Primarium objectum Theologicum rectæ cognitionis, duplex est: nam primò, generalis quædam προθεωρία præmittitur in qua sequentibus specialibus tale fundamentum sternitur, ut in ijs progressus sit felicior atq; facilior: e contrà: istis negatis, aut depravatis, in specialibus multipliciter hærere, atq; impingere sit opus. Vtpote, si constet, solam scripturam esse principium cognoscendi Theologicum, ad illius normam quævis possunt institui, ac dirigi. Si verò unus addat traditiones,

tiones, alius humanam rationem, alius Concilia, &c. Jam præpeditus est, & impeditus omnis conatus, nisi hæc obstacula prius removeantur. Eadem est ratio aliorum. Neq; hic Photiniani quid patiuntur in se desiderari: nam; de dissentientium nominibus tituli, *Christianus*, usurpatione, vero, ac genuino medio cognoscendi mysteria fidei, & quæ similia, ea docent, quæ vel in fundamento dissentientes confundunt, vel universam Theologiam ancipitem, ac dubiam reddunt, si non fœdis erroribus polluunt. 3. Pertinet insuper eò scripturarum interpretatio. Etsi autem extra dubium sit, scripturam sacram esse indubiam fidei regulam, quod verbis concedunt Photiniani, hoc ipsum tamen factis negant, comminiscendo violentissimas, & admirandas scripturarum contorsiones atq; τρεβλὰς, quem in finem eas sibi confingunt interpretationis regulas, quibus omnem scripturam ambiguitatibus & flexiloquijs ita involvunt, ut ea fidei probationibus reddatur prorsus ineptissima. Adeò istos fundamenta convellere non sine causa gemimus & querulamur.

Quare; Theologiam Photinianam contemplaturo προθεωρίας loco necesse est, 1. Scire, quatenus nobis in fundamento cum

illis conveniat, quatenus non conveniat; & dissentientes imò adversarios certis nominibus abs nobis discernere. Hîc Photiniani quæcunq; nomina discretiva repudiant, *Christianos* se appellari petentes; cùm appellatio illa sit controversa, & à pluribus usurpata. 2. Ne titulo, *Christianus*, temerè abutamur, videre, ne ille cuiquam concedatur, qui eo se indignum probarit. Photiniani verò minus piè agunt, quando omnibus eum concedunt, qui modò Christum confitentur, utut varios teneant de illo errores. 3. Adversariorum dogmata judicaturo attendere, quamnam illi de fidei negotio confessionem edant. Eam verò deprehendimus vel in publicis cœtuum, & Ecclesiarum symbolis, vel privatorum scriptis. Negant Photiniani, quando illa incompleta sunt, de opinionibus integrorum cœtuum ex privatis judicium debere institui. 4. Norma fidei, ac religionis est scriptum verbum Dei, idque solum. Photiniani judicium rationis illi perperam annectunt, quicquid rationi apparet contrarium, Theologicè verum esse negantes. 5. Ex hac norma petuntur dogmata. 1. Per gratiam Spiritus sancti homines illuminantem: Photiniani etiam sine hac sancti Spiritus

ritus gratiâ scripturam cum fructu legi, dictitant. 2. Non ex solo sensu literali, verum etiam mystico; Photiniani solum literalem assumendum contendunt. 3. Non ex solo ῥητῷ, sed etiam validâ & legitimâ consequentiâ. Photiniani ῥητὸν urgent in omnibus ad salutem necessarijs, consequentias omninò prohibentes. 6. Scriptura est norma non modò in ijs, quæ de fide sunt, & ad salutem necessaria; sed etiam quæ circa fidem, quæ historica, & similia. Photiniani in ijs, quæ per se necessaria non sunt, libertatem Christianam dominari putant. 7. Exercetur Christianum judicium de ἑτεροδόξοις, qui per dogmata periculosa animabus insidiantur, quando ceu hæretici cuivis Christiano fugiendi proponuntur. Photiniani neminem ita damnandum esse, svadent. Hinc *novem* errores examinandi.

Error I.

Qui confitentur, solum patrem Domini nostri Jesu Christi esse vnum Deum Israelis, non dicendi sunt Photiniani, multò minus Ariani, aut hæretici, sed Christiani, ideoq; pro spiritualibus fratribus habendi.

1. Novorum † istorum hominum (qui discriminis causâ *Photiniani* appellantur) descriptio, qua seipsos tanquam *solius patris Domini nostri Jesu Christi, utpote vnius Dei, confessores* pingunt, ac ceu sepulcra dealbant, neminem offendat. Præterquam enim, quòd confessionem adeò generalem edendo, & extra dubium, ac controversiam posita affirmando, errores suos coram imprudentibus tegunt, alios ab se dissentientes, vel huius erroris suspicione onerant, ac si præter unum Deum Israelis & patrem Jesu Christi, alios quoq; Deos fingant. Nihilominus hanc propriam ipsorum descriptionem huc apponendam duxi, quòd in more frequenti habent positum, de injuriâ sibi

sibi factâ, & errore afflicto querelas movere. Sufficiat verò, pium lectorem monuisse, confessores illos, qui se solum patrem Domini nostri Jesu Christi unum Deum Israelis, agnoscere dictitant, esse eos, qui S.S. Trinitatem negantes, filium verum & patri ὁμοούσιον Deum inficiantur, spiritum S. in virtutem divinam (personalitate destructâ) transformant, eoq; fundamento fidei diruto, cuncta ferme Christianæ fidei dogmata subvertunt, quod σὺν θεῷ, perspicua, sed breviore demonstratione planum fiet.

Duo † sunt thematis Photiniani membra: unum, *quinam illis tituli displiceant:* Alterum, *quos sibi eligant,* recenset. 2.

Prius † tres habet titulos: 1. *Photiniani.* 2. *Ariani.* 3. *Hæretici.* *Primum* duplici de causa improbant. 1. quia non protinus ab aliquo est appellandus, qui cum illo in dogmatis fundamentalibus consentit. 2. quia ab homine denominari nolunt: *Smalc. cont. D. Fr. pag.* 10. *Docet,* (D. Frantzius) *nos Photinianos appellandos esse, quia nostra sententia de Christo conveniat cum sententia Photini, idq; testimonio Ostorodi confirmat. Sed si hoc licebit, equidem multorum hæreticorum, adeoq; Pontificiorum infamiam Frantzio inurere potero. Multa enim sunt eaq; fundamenta ex mente Frantzij, in quibus idem cum multis,* 3.

quos hodie hæreticos apppellant, & cum ipsis Pōtificijs senti, Sic solēt agere illi qui res sacras parum graviter tractant, & alienæ infamiæ student: Si Photinus verum sensit, Christianus fuit, & ideò nos unà cum eo ad Christū appellamus. Quid est Photinus? quid alij? nisi servi Christi. Christus est Dominus noster: ab eo nominari gaudemus omnes.

4. *Secundum* † Itidem ob dissensum ab Ario sibi imponi recusant. *Smal. resp. ad nova monst. c. 1. pag. 1.* Responsio ad 1. caput, cui titulus est: *Arianos nullo modo Christianos dici posse. Ad hunc titulum respondeo; Smiglecium nos non nisi per summam fallaciam & injuriam Arianos appellare. Ex consensu enim tantùm in Principalibus cum Ario de JESU CHRISTO, Arianismi jure quis argui potest. Nobis verò cum Ario in istis principalibus non convenit.* Moscorov. refut. append. pag. 3. *Arianorum nomē injuriâ in nos confertur. Cujus rei rationem evidentissimā cùm afferamus, nempè quòd à sententia dogmatum Arij plurimum absimus, cordato cuivis planum esse confidimus, nos Arianos dici nulla ratione posse.*

5. *Tertium* † Minimè vero omniū audire volunt *hæret.* Sic n. *Smalc.* cont. D. Frantz. disp. 1. p. 9. *Quo verò jure nos pro hæreticis proclamare potest Frantzius? Pro hæreticis se proclamari à Pōtificijs, indignè ferūt Lutherani, & ipsimet alios hæresis fulmine percutiūt, quos multò*

minus

minus erroris cõvincere possunt, quàm Pontificij illos. Sed â quo illi Spiritu proficisci putãt istam hæresis insimulationẽ in Pontificijs, ab eodẽ etiã in sese eandẽ proficisci judicent. Quantò rectius facerent, si memores essent Pauli dictorum. Tu quis es, qui alienũ servum judicas? Domino suo stat aut cadit. potens autem est erigere eum &c. Quos verò hæreticos proclamat Frantzius, illi non religionis Christianæ fundamentum solidum loco suo movere, & penitus subruere & destruere magno Zelo, magnoq; æstu laborant: Sed cassum illud & otiosum ædificium, &c.

Posterius: † *Christiani* titulum sibi arrogant, etiam argumentis hoc obtenturi, quæ postea videbimus, nunc ordine singula examino. 6.

EXAMEN.

I. Photiniani † præter rem omnem hoc nomen sibi dari molestius ferunt. Quamvis enim, qui Christum non omninò negant, sed nomen ejus profitentur; ab eo Christiani dici velint, attamẽ, quòd hæreses tàm multæ, tamq; variæ, simul omnes sub pallio, & nomine Christiano latitare cupiãt, in re ambigua certũ cuivis factioni, ac cœtui nomen indere flagitat. 1. *Necessitas*, ob quam distinctionis causâ certa Professionis nomina, vel sibimet eligant, vel ab alijs ĩndita ne recusent. 7.

sent. 2. *Fidei professio*, quam is qui ab aliis in fundamento dissentit, non vult esse ambiguam, neq; cum aliorum dogmatibus ulla ratione commixtam; at: cùm se Christianos profiteantur ij, qui sequuntur dogma *Lutheri:* item qui *Calvini*, qui *Papæ*, qui *Photini*; certè; nomen *Christianus*, etsi à Turcis & Scythis eos distinguat, inter ipsosmet tamen discrimen vel ideò non efficit, quia omnes titulum eum indifferenter usurpant, & de jure illum usurpandi contendunt: atq; sic Lutherani à Luthero se appellari non molestè ferunt, certi, se vel eo nomine à Pseudo-Christianis distingui: minimè verò Christianos negari. 3. Admittit idem praxis Ecclesiæ, quæ tale discrimen in nominibus quæsivit: & à Christo Christianos, ab Athanasio Athanasianos appellavit, interq; hæreticos Simonianos, & Nicolaitas dixit eos, qui autore Simone & Nicolao, nova dogmata, Apostolicis dissona spargere cœperant. Nunc ergò, volumus, perpendant Adversarij, 1. Annon res postulet ipsos quopiam alio quàm Christiani titulo insigniri, siquidem nec obtinuerunt nec obtinebunt unquam, eum sibi jure deberi, multò minus solis. 2. Annon rectè *Photinianos* dicamus, qui cum *Photino* in doctrina consentiunt, neq; hactenus ulla in parte suum ab eo dissensum fuerunt

fuerunt testati. 3. Annon æquissimus qui nomen *Photinianus* ipsis præter aut contra voluntatem non imponimus; sed ceu ab ipsis sponte assumtum usurpamus. Etenim Photinum suæ sententiæ patronum, atq; patriarcham facit *Socinus*, Cont. Volan. part. post: pag. 239. *Qui tamen* (Historici Ecclesiastici) *manifesta veritate victi atq; compulsi, ex paucissimis quibusdam, quos nostræ sententiæ propugnatores varijs temporibus fuisse commemorant unum & doctrinæ & eloquentiæ, ac constantiæ simul nomine non obscurè commendant, & hæreticum quidem, seu potius hæresiarcham illum omnes faciunt: Cæterùm, summum alioqui virum fuisse, quidam ex ipsis ingenuè confitentur. Is fuit Photinus quondam Sirmij Episcopus: quem certum est ipsissimam nostram sententiam & sermone & scriptis acriter defendisse, &c.* Deniq; si nomen *Photinianus* displicet, liberum ipsis facimus, ut aliud sibi eligant, quo, salvâ professione nostra, salvo cumprimis honore divino, ipsos appellare liceat.

II. Super † nomine *Arianus* operosè cum adversarijs contendendum non puto, quòd nulla necessitas hoc flagitet; si verò quis illis tribuat, non multum, credo, aberrabit. Etsi enim quibusdam in capitibus ab Arianis discedant, ex fonte tamen, & scaturigine

Ariana

Ariana totus Photinianismus propullulat; Negantes S. S. Trinitatis Mysterium, simulque Christi, & Spiritus S. Deitatem tollentes, jam necessariò plurimos de Deo & Christo errores docent, satisfactionem (creaturę præstitu impossibilem) pro hominum peccatis, item, iram Dei, hominum corruptionem, regenerationem, nec non restaurationis media, Christi incarnationem, vim, & usum Sacramentorũ &c. negant; contrà liberum hominum arbitrium, impletionem legis possibilem, statuunt; Simul errores plurimos ex dictis prognatos asserentes. Sed, ut dixi, hac super re cum quoquam contendere nolo.

9. III. *Christianos*† dicere Photinianos, religione Christiana prohibemur. Quia negant dogmata hominibus Christianis scitu & agnitu necessaria, illisq; alia falsa opponunt. Omnis Christianus recte sentit. 1. de Deo. 2. de Christo. 3. de homine. Quicunque verò de his ad verbi divini præscriptum recte non sentit, neque Christianus censeri potest. Ratio; quia 1. hinc & non aliunde peti potest Christiani & hæretici discrimen. 2. Per fidem homines Christo uniuntur, ideoque Christiani sunt ex fide *Eph.* 3. *v.* 17. qua qui prorsus destituuntur, aut corruptâ utuntur, nomine Christiano se indignos faciunt.

ciunt. 3. Christus fundamentum est fidei & Christianismi 1. *Cor.* 3. *v.* 11. quod per dogmatum negationem, aut falsorum positionem convellitur. Atqui Photiniani rectè non sentiunt. 1. de *Deo*, ejus agnitione, nominibus, idiomatis, personis, voluntate, operibus. 2. de *Christo* illius nominibus, naturis, personâ, statibus, exinanitionis & exaltationis, actionibus, officijs (Sacerdotali, regio, Prophetico.) 3. de *homine* constituto in statu *integritatis*, ejusque concreta imagine, immortalitate &c. In statu *corruptionis* quem in universum negant, & de peccato, de hominibus, &c. varia comminiscuntur falsa: In statu *restaurationis*, quem ob negatam corruptionem itidem convellere oportet: Ubi & de conversione, de Sacramentis, Ecclesiâ, ministerio Ecclesiastico, disciplinâ Ecclesiastica, & morte hominum, &c. errores fovent multiplices. Instatu denique *alterius vitæ*, de morte æternâ, vitâ, & conditione beatorum, itidem erronea & à verbo Dei aliena docent, ut volente Domino suo tempore, videbimus. Ergò Photiniani non sunt Christiani. De quo plura pòst.

Porrò † cùm *non-Christiani* sint duplices: 16
Infideles & *hæretici*. Photiniani autè Christũ profiteãtur, (superficialiter, & verbis potiọ,

quàm

quàm re ipsa & verè) *hæretici* rectius, quàm infideles dicuntur. *Fratres*, igitur Photinianos non agnoscimus, quia tot modis à verbo Domini divortium facientes, neq; Dei, neq; Apostolorum, neq; Abrahami filij sunt, ideoq; nec matrem habent Ecclesiam, neq; ex verbi divini, sed humanæ potius rationis semine procreantur. Caritas, etsi extrinsecus simuletur, attamen, quòd animus hostilis, & bonorum spiritualium direptio sub eo occultetur; caveamus Pseudo Prophetas, & lupos pellibus ovinis tectos. *Matth. 7. v. 18. 2, Cor. 11. v. 13.*

OBIECTIO.

II. *Nos † Christianos esse, sic probo: Omnis spiritus, qui confitetur Jesum (esse) Christum, qui in carne venit, ex Deo est. Nostræ Ecclesiæ, eæq; solæ, confitentur Jesum (esse) Christum, qui in carne venit. Ergò ex Deo sunt, & proinde veri Christiani. Major est D. Johannis. (1. Joh. 4.) Minor probatur. Nam nostræ Ecclesiæ neminem alium, præter, & ante eum, qui in carne venit, h. e. qui cum carne, & infirmitate in mundo versatus est, pro Christo habent, & suum regem agnoscunt, &c.* Hæc Smalc. cont. nova monstr. cap. 1. pag. 10.

01 12. Resp. † Fallacia ἀμφιβολίας in phrasi, agnoscere Christum. Agnitio siquidem Christi

Christi vel rudis est, ac superficiaria, vel fundamentalis, & solida. Quemadmodum & Dei agnitio vel generalis est, vel specialis, ac propria. Qui generaliter Deum norunt *Rom.* 1. *v.* 19. *cap.* 2. *v.* 14. eundem ignorare dicuntur, *Act.* 17. *v.* 23. *Eph.* 2. *v.* 12. scil. specialiter, & quoad notitiam salutarem; quod vel inde patet, quòd ad agnitionem Dei requirat Johannes ea, quæ quàm longissimè ab illa videntur abesse, 1. *Epist.* 1. *v.* 6. 7. *cap.* 2. *v.* 3. 4. 10. 15. 22. *cap.* 4. *v.* 6. 8. 15. 20. sic & qui superficietenus saltem Christum scit, & confitetur, eundem verè, ac solidè non confitetur, & per consequens ideò Christianus dici non potest. Hoc a. sensu majorem ab adversarijs intelligi, testis est *Moscorovius, refut. app. pag.* 13. scribens: *Si fatetur adversarius, nos Christum, ut pro suo more loquitur, confictum pro vero obtrudere, ergò, nos Christum confiteri, certum est, ut in confessione illius essentiæ, secundum ejus opinionem erremus. Error circa rei essentiam tantum abest, ut essentiam rei tollat, ut etiam præsupponat.* Majorem igitur sensu photiniano acceptam simplicissimè nego. Siquidem certum est, esse nos Christianos per Christi agnitionem, at non quamcunq;, sed solidam. Quod sic probo. 1. Per quam Christi notitiam sumus Christiani, per eandem salva-

mur. Per superficiariam illam nõ salvamur; aliàs repulsam passuri non essent, qui dicent: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimꝰ &c. Matt.7.v.22.23.* 2. Quia nõ omnis, qui Christum vocat Dominum, intrat in regnũ cœlorũ. Argumentor. Omnis, qui Christum salutari notitiâ amplectitur, in regnum cœlorum intrat. Multi Christum agnoscentes, & profitentes nõ intrant in regnum cœlorum. Ergò multi Christum agnoscentes, & profitentes, salutariter illum non cognoscunt. Ergò nec quæcunq; confessio est salutaris. Ergò nec quæcunq; cõfessio facit Christianum. Quòd si verò confessio plena & solida intelligatur, jam nihil falsum magis subsumere potuisset Smalcius; quia confessionem Christi, qualem edunt Photiniani, sufficientẽ, ac salutarẽ esse, ipsi nondum docuerunt; eandem verò non nisi titularẽ, hypocriticam, & veris Christianis nullo modo sufficientem, docuimus, atq; docebimus.

Error II.

Quicunq; confitetur Christum, etiamsi de ejus Persona, de Deo & homine varios errores foveat, pro Christiano, & fratre agnosci debet.

Multum

Multum † semper in Ecclesiâ, & popu- 1.
lo DEI de titulis & externo splendore laboratum fuit. Judæi audire volunt *populus Domini*, cum essent non-populus *Ose.* 1. *v.* 9. labijs appropinquabant DEO, licet cor longè abesset *Esa.* 29. *v.* 13. Jactabant patrem Abraham, cum essent ex Diabolo. *Joan.* 8. *v.* 39. 44. Similiter Ecclesiam N. T. vix ulla hæresis afflixit, quæ non titulum, ac nomen Christianus sibi vendicaret, utut etiam corde, & in rei veritate nihil esset minus.

Quos † imitati hodierni Photiniani, & 2.
ipsi titulum Christianus sibi arrogant, alio nomine appellari recusantes, simulq; *fratres* nostri Spirituales haberi petentes *Smalc.* cont. D. Frantz. disp. 1. pag. 11. *Si Photinus verum sensit*, Christianus *fuit*, *& ideo* nos unà cum eo *ad Christum appellamus. Quid est Photinus? quid alij? nisi servi CHRISTI. CHRISTUS est DOMINUS noster: ab eo denominari gaudemus omnes.* Ostorod. præf. Instit. pag. 8. Hierin sind wir allen andern vngleich/ das wir niemand wegen seiner meinung verwerffen / noch verdamen/ sondern hertzlich gern einen jeglichen für einen Bruder begeren zuhalten / ob er schon in vielen Puncten mit vns nicht vbereinkeme / wenn er nur Christum für seinen HErrn/ vñ Heyland erkennet/ vnd derhalben

seinen Geboten gehorsam ist/ vnd jhn mit Göttlicher Reverentz ehret/vnd anbetet. *In hoc ab alijs omnibus discedimus, quòd neminem propter opinionem suam reijcimus & damnamus: Sed ex animo unumquemque pro* fratre *habere desideramus, quamvis in multis ipsis nobiscum non conveniat; modò CHRISTUM Dominum & Salvatorem suum agnoscat, ac propterea mandatis ejus obediat, illumq; honore divino veneretur, atquè adoret.*

3. Quapropter † distinctè 1. Quis pro *Christiano?* 2. Quis pro *Spirituali fratre* haberi debeat? Postea: *taleśne sint Photiniani?* dispiciemus.

4. Ut † verò, quemnam conveniat *Christianum* salutare, constet; Primùm Photinianorum mentem sequentibus thesibus comprehensam videbimus. 1. *Omnis Spiritus qui confitetur* JESUM (esse) CHRISTUM, *qui in carne venit, ex DEO est.* Smalc. cont. nov. monst. cap. 1. pag. 10. 2. *Non statim omnis qui absurda docet* CHRISTIANO *nomine privandus est.* Smalc. de verb. incar. nat. pag. 8. 3. Ex sententiæ professione non ex negatione sententię contrariæ dogma judicari debet. *Moscor.* refut. append. pag. 4. *Ex eo quòd sententiam adversarij nego, me non consentire cum adversario liquet; at quid ipse sentiam, nisi illud profitear, nondum apparet. Ex profes-*

sione

sione igitur sententiæ meæ, non ex negatione sententiæ adversarij, quod præcipuum & essentiale sit meum dogma, spectari debet. 4. Christianum esse posse, qui divinam Christi essentiam negat *Smal.*cont. nov. Monst.cap. 1. pag.5.*Etiamsi divinam Christi essentiam statim temporibus Apostolorum credidissent Christiani, tamen ideò fidem in Christum interijsse, dici non potest. Non enim per se & naturâ suâ error hic tollit fidē in Christū, quantumvis eam vehementer obscuret & mirificè intricet.* Ubi additur in margine: *Error circa Christi essentiam non tollit per se fidem in Christum.* Moscorov.in refut.append.Smiglec.pag.13. *Si ij, qui Christum non confitentur, Christiani non sunt; Ergò eos qui Christum confitentur, Christianos esse, prorsus est necesse.*

EXAMEN.

Error † hic geminus est; quorum prior la- 5.
borat pro obtinendo errantium *Christianismo:* posterior pro eorundem *fraternitate*. Quod ad Prius Membrum duo sunt, quibus Christianismus definitur ac circumscribitur. 1. fides. 2. confessio, *Rom.* 10. *v.* 9. *sq.* 1. *Pet.* 3. *v.* 15. Hinc thema istud geminum elicio. 1. *Quicunq; verus Christianus est, ille habet fidem & confessionem.* 2. Et vicissim: *quicunque vera ac viva fide destituitur, nec*

edit confessionem fidei sincerè piam & Christianam, is pro Christiano minimè haberi debet. Utriusq; una est veritas; quam in dubium vocatum iri, non puto: modò, quid *per fidem* & *confessionem* necessariò intelligendum, satis constet. Utramq; igitur exponã, sed junctim. *Fidem* intelligo non hypocriticam, & verbis saltem jactatam: neque otiosam & ἀνεργον, quam Jacobus dicit mortuam. *cap.2.v.17.* neq; illam quæ in nuda notitiâ conquiescit, sed quæ & hanc includat, & cognitis assensum præbeat; & ex assensu fiduciam in Christum concipiat. *Confessio* est fidei in corde latentis publica contestatio. In utraq; consideranda veniunt.

6. 1. *Omnimoda †utriusq; absentia.* Sunt enim qui fidem Christianã, & consequenter professionem illius, in universum ignorant, negant, rident, persequuntur, impugnant. Non habentur hi ob causam dictam Christiani.

7. 2. *Utriusq; † disjunctio.* Qui enim credit in corde, nec confitetur ore, verus Christianus non est *Luc.8.v.13. Johan.12.v.42.* Ita vicissim, qui per hypocrisin confitetur, nec corde credit, itidem Christiano nomine indignus est. Notantur hi typo parietis dealbati *Act.23.v.3.* Sepulcrorum forinsecus elegantium, intus omni spurcitiâ plenorum. *Matth.23.v.27.* Appropinquant ad Deum ore,

ore, corde longè discedunt. *Matth.*15.*v.*5. Erant in populo Judaico, qui Christum professi, in nomine ejus dæmonia ejiciebant, *Luc.*9.*v.*49.*c.*11.*v.*19. Nec tamen hos quisquam Christianos dixerit, quos salvator eo habet numero, ut illos, ceu iniquitatis operarios, abs se ejiciat. *Matth.*7.*v.*23. alios ut hypocritas regno cœlorum excludat. *Matt.* 23.*v.*13.15. Cæterorum cultum, ceu inanem, ac frustraneum improbet. Accenseo his illos, qui confitentur, se nosse Deum, factis autem negant *Tit.*1.*v.*16. hoc est ore ac gestu DEI venerationem simulant, talia interim dogmata spargentes ac defendentes, quæ cum confessione priore non consistant.

3. *Utriusq; † imperfectio*, De lege pronunciat Jacobus: *qui deliquerit in uno, omnium fit reus cap.*2.*v.*10. Quidni eadem ratione fidem etiam ac professionem Christianam, diceremus esse non nisi integram, nec pro Christianâ acceptandam, quæ non omnibus suis partibus integra & sincera constet? Adeò, ut Christianum non dicamus, qui rudem ac generalem fundamentalis cujusdam dogmatis professionem sufficere putat, quantumvis periculosos postea in specie errores foveat, non attendens, qualiter dogma prius assertum ipse rursum evertat. E. g. qui dicit, se credere & profiteri DEUM cœli terræque conditorem 8.

omnipotentem, beneficum, Sapientem, justum, qui bonis aliquando sempiterna, bona, malis perpetua mala sit tributurus: Christum etiam verum Messiam agnoscere: næ is confessionem edit, minimè improbandam, nec tamẽ protinus Christianus salutabitur: Si quidem cum Manichæis bono Deo adjungat malum, cum Anthropomorphitis hominis figuram & staturam Deo tribuat: eundẽ cum Stoicis fato astringat, cum Tritheitis, trinam Dei essentiam numeret, &c. Christum cum Judæis & Chiliastis Regem politicum expectet, nihil verò ab illo rerum spiritualium speret, cum Pontificijs Monachorum merita illi conjungens, cum Calvinianis meriti universalitatem negans. Patet hinc, qualis requiratur professionis integritas, & perfectio; quæ nimirum sit, non generalis saltem, vel duntaxat specialis: Sed utraq; sibi consonans, ut neq; sit in generali, quod adversetur speciali; neque specialis quicquam habeat, quod non generali exactissimè correspondeat. Quod etsi per se clarum, hinc tamen firmiter probatur.

9. I. Quia † nullus foret in Ecclesia Hæreticus. Notum est discrimen *hæretici, & Ethnici*, seu ejus, qui, cum fundamẽtaliter erret, est vel in Ecclesiâ vel extra eam. Hæretici sunt in Ecclesiâ (etsi non De Ecclesia

1. *Joh.*

1. *Joh.* 2. *v.* 19.) quemadmodum Zizania inter triticum sparsa *Matth.* 13. *v.* 25. inde Apostolus: *oportet hæreses esse* Inter Vos 1. *Cor.* 11. *v.* 19. Econtrà; Infideles (quos ita scriptura vocat 1. *Cor.* 7. *v.* 12.) foris sunt 1. *Cor.* 5. *v.* 12. non In Ecclesia, sed Extra illam. Cuius diversitatis caussa non est fidei sinceræ defectus (uterq; enim horum fide caret) sed, quòd Hæretici Deum & Christum profitentur quidem, Christiani appellari cupiunt, cultum & religionem præ se ferunt: quia tamen circa eiusmodi dogma, quod vel directim est fundamentale, vel per obliquum fidei fundamentum constituit; errorem sive affirmantem sive negantem, errant, & sic fidem profitentur, sed imperfectè, è Christianorum catalogo excluduntur. Econtrà; quia fidem non prorsus abijciunt, infidelibus non accensentur, sed *hæretici* appellantur. Quæ τειχοτομία *Christiani*, *hæretici*, & *Ethnici* locum habere non posset, si omnis Christianam fidem saltem generaliter professus, Christianus dici deberet; siquidem nullus est hæreticus, qui non generalem fidei confessionem teneat. Absurdum hoc: forent quippe omnes homines duntaxat duûm generum, 1. *Christiani* qui Christum profitentur, sive totaliter, sive partialiter; sive purè, sive cum admixto errorum

fermento. 2. *Infideles*, qui Christum vel ignorant, vel negant; Ideoq; ad classem priorem Christianorum necessariò referemus non minus Antichristum, edentem de Deo & Christo confessionem generaliter bonam, & cum eo Papistas, Simonianos, Arianos, Nestorianos, Pelagianos, Calvinianos, quàm Paulum Apostolum, cum ijs, qui primitùs Christiani sunt dicti *Act.* 11. *v.* 26. *cap.* 26. *v.* 28.

10. II. Quia † commixtio fieri posset veri & falsi. Christianismum tales confusiones non ferre, vel inde claret quòd non claudicandum in duas partes 1. *Reg.* 18. *v.* 21. diligendus Deus ex Toto corde, Tota anima, & Tota mente *Matth.* 22. *v.* 37. quid paleis ad triticum? *Jerem.* 23. *v.* 28. quæ participatio justitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christo cũ Belial? quæ pars fideli cum infideli? qui consensus templo Dei cum Idolis? 2. *Cor.* 6. *v.* 14. *sq.* Ubicunq; verò fides, & confessio in genere ac specie, omnibusq; suis partibus sibi nõ est undiquaq; conformis, sed modò vera tenet modò falsa, illic utiq; Deus ex dimidio saltem cordis vera sentiente, non item ex altero, erroribus circumvento diligeretur: in utramq; partem claudicaretur: miscerentur paleæ cum tritico: justitia cũ iniquitate, lux cum tenebris, Christus cum Belial, Fides

cum

cum Infidelitate, templum Dei cum idolis. Ergò Christianismus non patitur fidem quoad generalia esse sanam, in specialibus verò sanæ oppositam ac contradicentem. Plura in re omnium clarissima non addo.

Duplex † verò est imperfectio ista: 1. per *negationem:* quando pars aliqua eorum, quæ aliàs creditu sunt necessaria, negatur, 2. per contrarij dogmatis *affirmationem.* Moscorovius indignè fert, ex negationibus Photinianis judicium de ipsis fieri. Quo vix quicquam dicere potuisset ineptius. II.

I. Quia † omnis negatio tacitam includit oppositi affirmationem. E. g. negans Arius Christum patri ὁμοούσιον, simul ipsum nudam creaturam asseruit. Negantes Photiniani, Christum aliam quandam naturam habere, præter humanã, eundem ψιλὸν ἄνθρωπον asseveratione minimè obscura faciunt. Judæi Jesum Nazarenum negantes Messiam, affirmant eum mendacem seductorem, ac impostorem. Quamvis autem difficilius interdum ex negatione ducatur affirmatio: revera tamen sub ea semper latitare, adeoq; ex adversariorum negatione, de eorundem thesi judicari posse norunt eruditi pariter ac rudes. 12.

II. Quia † sic multi, qui omnium confessione Christiani non sunt, hoc tamen titulo gauderent. 13.

Ethnici

Ethnici nonnè vel ideò, quia fidem Christianam negant (nec saltem, quia idolorum sunt architecti) Christiani negantur? Judæi mundi creatorem, Israelis ex Ægyptiaca servitute vindicem, scripta Prophetica edentem, Messiam promittentem &c. verum Deum, eumq; juxta proprias ipsius sanctiones atq; statuta colendum affirmant, adorant, suamq; spem in illum unicè se collocare profitentur; nec tamen sunt Christiani; Ob Solam *negationem* eorum dogmatum, quæ Christianis sunt fundamentalia. Ita si veteris Ecclesiæ acta revolvamus; multi certè hæretici declarati, êq; societate Christianorum sunt excluſi Solum vel etiam Præcipuè propter negationes. Arius pronunciabatur hæreticus, non tàm, quia Christum ante secula creatum asserebat, (Is enim error ex alio demum proveniebat) quàm quia eundem patri ὁμοούσιον negabat, (quod fidem Christianam immediatè petebat.) Apollinaris rationalem Christi animam non agnoscens hæreticus fuit habitus. Plures recensere nolo. Quid verò tandem de eo statuendum, qui nullum errorem professus, negaret Deum, negaret Christum, negaret fidem & religionem Christianam? Is ex hac negatione non esset judicandus? sed, modò velit ipse audire *Christianus*, à Photinianis

nianis & *Christianus* audiet, & *frater:* nec enim quidquam ἑτερόδοξον adstrueret & saltem ὀρθοδοξίαν negando excuteret. Ita scilicet erroris cernitur fœcunditas.

III. Quia † Photiniani ob solam negationem quosdam à fraternitate sua excludendos censent. 14. Christi adorationem, caput Christianismi primarium agnoscunt; at hoc negantes è suo certè consortio, ceu titulo Christiani indignos, ejiciunt. *Socinus* cont. VVieck. cap. 2. pag. 47. de Francisco Davidis sic statuit. *Illum hæreticum judicarunt* (nostri) *imò plusquàm hæreticum, nam talem hominem* indignum Christiano nomine *esse, dixerunt; quippe, qui Christo invocationis cultum prorsus detrahendo, & eum curam Ecclesiæ gerere, negando, simul reipsa negaret, eum esse Christum.* Sex capita de Deo ad salutem creditu necessaria numerant: 1. quòd sit Deus. 2. quòd unus. 3. æternus, 4. perfectè bonus. 5. perfectè sapiens. 6. perfectè potens. Horum si quis unum, aut etiam plura negaret, etiamnè Christianum agnituri essent Photiniani? Vix equidem puto, secum tamen illi deliberent. Interea non modò ex sententiæ professione, sed etiam contrariæ negatione, dogma judicandum esse concludo.

Quibus † præsuppositis, omnem Chri- 15.
stianum

stianum rectè sentire dicimus, 1. de DEO, quantum ad eius essentiam, idiomata, voluntatem, opera, cultum. 2. de Christi persona, statibus, & officio. 3. de homine eiusq; statu quadruplici.

16. I. DEUM † esse dogmatum Christianorum fundamentū, non spero inficiaturos adversarios. Agnoscunt fidem (h. e ex ipsorū interpretatione, obedientiam *voluntati* divinæ præstitam) ad salutem necessariam: fatētur, voluntati divinæ sine notitia essentiæ Dei obtemperari non posse, *Ostorod. Instit. cap. 3. pag. 24.* Porro; *opera* de essentia & proprietatibus, ceu effectus de caussa testantūr: hactenus igitur existimo, non diffessuros Photinianos, etiam opera Dei sine periculo amissionis tituli (*Christianus*) negari non posse. *Cultus* necessarius est, adversarijs non reluctantibus: nam ideò cultum Christo debitum negantes è Christianorum cœtu ipsos relegare, modò vidimus.

17. Hæc † longius non diduco: notam verò hominis Christiani primam efficio talem. *Omnis verus Christianus de divina essentia, idiomatis, voluntate, operibus, & cultu rectè sentit, ut neq; partem cœlestis doctrinæ neget, neq; falsum quid illi opponat.* Vicissim: *quicunq; negat ea, quæ DEUS de sua essentia, idiomatis, &c. scire & credere nos voluit; aut falsum*

de ijs

de ijs dogma tuetur, is nomine Christiano dignus non est.

II. Christus fundamentum Ecclesiæ, adeoq; totius religionis & Christianismi, meritissimè celebratur. Quod equidem, à quoquam Christianismum vel specietenus duntaxat sectante negatum iri, non credidissem, nî Smalcius cont. Dn. D. Frantzium disp. posterior. 4. pag. 384. sic differens legeretur: *Apollonem in fundamento optimè fuisse institutum, partim falsum est; expositio enim viæ Domini accuratior ipsam naturam & substantiam cognitionis Christi respicit; partim prorsus incertum. Nisi fortasse fundamentum dicat Frantzius quòd* Sciverit Jesum Esse Christum. *Quod* Improprie *quidem, ita dici potest.* Ita nimirum Smalcius Christum fundamentum propriè dictum negat. Minus piè. Nam 1. *tenetur aliud fundamentum ostendere, propriè sic dictum*, aut absurdè fateri, destitui fidem omni fundamento propriè dicto. 2. Christus appellatur *fundamentum* & quidem præcipuum, tanquam angularis lapis *Eph. 2. v. 20.* & *unicum*, 1. *Cor. 3. v. 11.* Ergò proprium. 3. Christus est *primum* fundamentum Testamenti Novi doctrinæ Christianæ, *Joan. 1. vers. 18. Hebr. 1. vers. 2.* salutis *Hebr. 12. vers. 2. Matth. 1. v. 21.* adoptionis in populum Dei *Roman. 11. vers. 24.* inq; 18.

inq; his omnibus unicum: ergò tot modis proprium. 4. His ita ſtantib9, cauſam & rationem improprietatis tenetur Smalcius
.81 reddere, quam datum non iri, certo eſt certius.

19. Ab eo † diſcedit, & quantum in ſe, convellit, quicunq; doctrinam de illo ſanam non acceptat, aut dogmata ipſi contraria fingit. Duo autem in Chriſto ſunt attendenda. 1. perſona. 2. officium; tertium quid detur, non video; *Perſonam* dicens (pro ſtatu præſente) ſubſtantiam & naturam, diverſosq; perſonæ ſtatus, & quæ his ſunt connexa, intelligo; ſtatuens omnem errorem de eſſentia & perſona Chriſti, ſive is verum neget, ſive falſum affirmet, profeſſionis ac fidei imperfectionem importare eam, per quam quis nomen *Chriſtianus* obtinere non poſsit.

20. Hic † verò diſſentientes invenio Photinianos, qui dicere malunt, errores circa eſſentiam Chriſti per ſe fidem non tollere; adeoq; *Chriſtiani* titulo neminem ſpoliare, ut Moſcorovius ſcribere non vereatur; *Nos Chriſtum confiteri, certum eſt, vtut in confeſſione illius eſſentiæ, ſecundum adverſarij opinionem, erremus. Error circa rei eſſentiam, tantum abeſt, ut eſſentiam rei tollat, ut etiam præſupponat.* Itaq; demonſtrare opus eſt errorem

rem circa essentiam Christi fidem in ipsum tollere. Quare negationi Photinianæ hanc thesin, ἔλεγχον ipsius continentem, oppono. *Error Christi essentiam vel personam negans fidem destruit, atq; sic etiam Christianismum tollit.* 1. per se, 2. consequenter.

Per se † *I. Quia, quemadmodum error essentiam DEI violans, cum fide Christiana non consistit; Sic etiam error essentiam Christi impetens, fidem expellit.* Caussam illic esse arbitror; quia Deus est fidei objectum; quod igitur de illo docetur, nullo errore tollitur, nisi fide simul sublata. Atqui Christus itidem est fidei objectum, ut constat; Ergò propter hanc quoq; caussam integritas fidei nullum de essentia illius errorem admittit. Sin aliam comminisci placuerit Photinianis (quod per me quidem licebit, modò ex verbo Dei res omnis agatur) diversitatem in ea Christi & DEI monstrent. 21.

2. *Quia † hæretici & infideles judicati sunt, quicunq; de essentia Christi sinistrè senserunt.* Error Judæorum, erat circa essentiam, quando eum filium Dei negabant: quando hodieque non ex virgine à Spiritu sancto, sed ex impuro concubitu conceptum & natum blasphemant. Arius essentiam impugnavit, idemque fecêre Ebion, Cerinthus, Aëtius, Macedonius, Sabellius, aliiq; plurimi na- 22.

mi naturam in eo divinam negando: Apollinaristæ & Valentiniani naturam humanam arrodendo: Nestorius naturas separando: Eutyches easdem confundendo: Monothelitæ, voluntatem utriusq; naturæ in unam conflando. Hi & qui plures alij, ab Ecclesia antiqua ob errorem circa Christi essentiam, sive personam nomine ac titulo Christianorum sunt spoliati, ac meritò: quis enim ad ejusmodi impiorum dogmata non exhorrescit? certò statuens Christum Salvatorem nostrum ijsdē ad justam iram & indignationem provocari, ut istos ἐπεξεργάζεσθαι membra spiritualis sui corporis esse minimè patiatur. Ad hujus tribunal Moscorovium remitto, ut impiam suam vocem, antè notatam excuset.

23. 3. *Quia* † *vera essentiæ Christi agnitio est PER SE pars fidei essentialis.* Comprobant id exemplis Centurio cruci astans & cum gemitu exclamans: *Verè hic DEI filius fuit. Matth.* 27. *v.* 54. Bartymæus Christum acclamans: *Jesu fili David miserere mei. Marc.* 10. *v.* 47. Apostoli de Domino suo talem confessionem edentes: *Tu es Christus filius DEI vivi. Matth.* 16. *v.* 16. Etsi autem his in cōfessionibus aliqua etiam officij incurrat mentio: nihilominus essentiam simul ac principaliter includi, nemo negabit. Sic autem arguo. Quicunq; essentialem fidei partem

tem aufert, simul totam fidem convellit; res enim ipsa loquitur, parte una principali & essentiali sublata; corruere totū. Est autem vera essentiæ Christi agnitio pars fidei per se constitutiva & essentialis. Ergò, quicunq; veram essentiæ Christi agnitionem tollit, fidem in universum destruit.

Consequenter † autem errorem circa Christi essentiā convellere fidem, hinc probo. *Qui a talis error alios parit errores officium Christi arrodentes.* De vera officij agnitione, & quàm ea fidei sit necessaria, pòst aliquid dicam: nunc eam sumo thesin: *Omnis error officium Christi vel negans vel impugnans fidem Christianā tollit.* Subsumo; Sed omnis error Christi essentiam sive personā negans, etiam officium illius negat. Ergò: Omnis error circa Christi essentiam, & personam fidem Christianam tollit. Majore extra controversiam posita, Minorem ita probo. Triplex est Christi officiū. 1. *Propheticum*, juxta quod toti humano generi Christus audiendus commendabatur *Deut. 18. v 15. Matt. 17. v. 5. Luc. 10. v. 16.* Hoc (quia Judæi Christum DEI filium Abrahamo priorem, peccati expertem non agnoscebant) calumniabantur veritatem ab eo prædicatam; autori Diabolo acceptam ferentes *Joh. 8. v. 45. 48.* ex furore & insania natam *Joh. 10. v. 20.* miracula in doctrinę confirmationē edita, non 24.

minori impudentia conſpuebant, dicentes ea fieri in Beelzebub *Luc.* 11. *v.* 15. 2. *Sacerdotale*; (de quo *Pſal.* 110. *v.* 4.) agnoſcere nemo poteſt, qui perſonam divinam eſſe negat; hac enim negata, jam neq; Sacerdotis dignitas, neque victimæ præſtantia, nec denique fructus inſecuti amplitudo ſalva conſtat, uti ſuo loco volente Domino videbimus. 3. *Regium*, quia Judæi Regem Meſſiam, Deum non credebant, ideò nec cœleſte ac ſpirituale id futurum ſibi perſuadere poterant. Summa: Perſpicuum eſt: Quicunq; perſonam Chriſti falſo dogmate violat, hunc officium ejus ſalvum defendere & ſic fidem retinere integram, verùmq; Chriſtianiſmum tenere non poſſe.

25. *Officium* † Chriſti quod attinet, probare foret facilimum, ad fidem & Chriſtianiſmum illud directim ać per ſe ſpectare, ideoq; neminē Chriſtianum eſſe qui hunc in lapidem impingat; quòd tamen Photinianos inficiantes non deprehendam, nec in re non controverſa aliquid laborabo.

26. *Alterum* † ergò Chriſtianiſmi notam facio hanc. *Omnis verus Chriſtianus de Chriſti eſſentia, Perſona & officio rectè ſentit, ut neq; partem cœleſtis de ea doctrinæ ullam neget, neq; falſum dogma illi opponat.* Viciſſim: *Quicunq; negat ea, quæ de perſona, eſſentia & officio Chriſti no-*

sti nobis sunt revelata, aut dogma falsum tenet, is vera fide destitutus Christiano nomine est indignus.

III. Homo † non quidem est fidei objectum; attamen cognitio ejus obliquè ad fidem facit, & objecta principalia tangit. Ut igitur de hoc quoq; theologicè considerato, rectè sentiat Christianus, necesse est. Consistit autem ea hominis notitia in quatuor membris, pro diversitate quatuor ejus statuum, quorum *Primus* est *integritatis*: De quo sinistrè sentit, qui Dei imaginem homini concreatam vel negat, vel erroribus commaculat, impingens in opera divina & consequenter in DEUM creatorem & redemtorem. 2. *Lapsus sive peccati.* Qui peccatum hominis negat, nec obstante eo salutem æternam per vires naturæ impetrandam cuivis promittit: qui pœnas ex peccato ortas naturalem conditionem facit: qui post lapsum dona DEI (quæ perdita, scriptura ait) supereſſe statuit; is de justitia DEI impiè sentit. Ut enim certum est, si homo in statu innocentiæ inquo conditus fuerat, permansisset, Christum in mundum venturum non fuisse; siquidem hoc redemtore nemo habuisset opus: venerat namq; Christus salvare, quod perierat, *Matt. 18. v. 11.* dissolvere opera diaboli: *1. Joh. 3.* 27.

v.8. vocare ad pœnitentiam, non justos, sed peccatores *Marc.* 5. *v.* 32. Quicunq; ergò hominem è statu integritatis non excidisse sed adhuc in eo consistere putat, is eo ipso hominem Deo placere sentit scire Christo, quo nemo opus habuerit. Quod sanè est officium ejus elevare, nec absque fidei jacturâ contemnere. 3. *Restitutionis.* Qui de restaurationis necessitate, medijs, (verbo & Sacramentis) restitutorum cœtu (Ecclesia) conditione, viribus, morte &c. errores fovet, is de restituente DEO & Christo impiè sentit. 4. *Perfectionis*: æternæ vitæ conditio est Corona â justo judice vincentibus imposita. Hanc qui projectam pedibus conculcat, tribuentem falsis suis opinionibus irritat, adeoq; fide excidit. Sic arbitror cuivis attento patere, qualiter errores de homine fidem Christianam per consequentiam evertant.

28. *Tertiam* † Igitur Christianismi notam constituo. *Omnis verus Christianus de homine in quatuor suis statibus Theologicè considerato rectè sentit, neque errores fovet, sive affirmativos, sive negativos.* Vicissim: *Qui de homine theologicè sumto vel negat revelata, vel his opiniones contrarias opponit*, quæ Christi officio derogent, *is verus Christianus non est.*

Atq;

Atq; † sic perfectione definita fidei, & professionis homini Christiano necessaria, totam collectionem meam in hunc fasciculum colligo: Omnis verus Christianus. 1. Vera fide est præditus, eamq; profiteri nil dubitat. 2. neq; fidem à confessione, aut hanc ab illa separat. 3. nec utramq;, vel alterutram etiam mutilat, sed in genere & specie de DEO, Christo, & homine rectè sentit. Econtrà. Quicunq; aut 1. fide Christiana in universum destituitur: aut 2. fidem habet absq; confessione, aut hanc sine illa, aut 3. fidem & professionem ita mutilat, ut rectam de DEO, Christo, & homine doctrinam generalem tenens; in speciali tamen aut ejus aliqua parte errando, quæ fuerat confessus, tollat, & vel mediatè, vel immediatè Christi officium tangat, sive id fiat per negationem sive per affirmationem: is nec fidem habere dicendus, nec in Christianis numerandus. In quo ἔλεγχος erroris suprà positi. 29.

OBIICITUR.

30. *Si † ij qui Christum non confitentur, Christiani non sunt, E. eos qui Christum confitentur, Christianos esse, prorsus est necesse.* Moscorov. refutat. append. Smigl. pag. 13.

31. Resp. † Ambiguitas est in termino: *confiteri Christum*: Si intelligitur confessio totalis, conceditur totum; Sin rudis & generalis ac verbalis potius, quàm realis (hanc autem velle Moscorovium, scopus & intentio ejus monstrat) consequentiam ob causas superius adductas nego. 2. Hac fallacia in argumento Moscorovij præsuppositâ, fallacissima insuper consequentia nectitur â positione partis unius, ad positionem totius procedens. Sequitur sanè; ubicunq; corpus non est; ibi nec homo est; non vicissim: vbi corpus, illic homo: per unius namque partis negationem tollitur totum; econtrà; Per positionē partis unius nō protinus ponitur totum: Sic rectè concludo: Qui literas alphabethi nescit, vir doctus non est: Ergoné qui literas scit, erit doctus? Qui, quid calceus sit, ignorat, sutor non est: num verò qui quid calceus? novit, sutor erit? Qui fundamentum futuræ domui ponit nullum, is nec domum extruxit. Ergo; qui fundamentum posuit, jam extruxit? Lippis & tonsoribus nota est Sophistica: Malè igitur Moscorovius; qui Christum negat,

gat, Christianus non est. E. qui illum confitetur Christianus est; puta superficialiter & generali ac rudi confessione.

De † Posteriore Membro erro- 32.
ris; quòd pro fratre sit habendus, qui erroribus de essentia Christi est implicitus, facilè nunc judicatur. Cùm enim Christianus & frater spiritualis, non nisi ita differant; ut nomen prius hominis cum Christo; Posterius hominis cum proximo per copulam fidei sub uno capite conjunctionem designet; utiq; omnis Christianus est frater, & vicissim: Quò autem res evadat clarior, dico; fratrem agnoscimus, qui nobiscum 1. unum habet patrem, 2. unam matrem, 3. ex uno semine nobiscum natus. 4. fraternam charitatem nobis exhibet. *Pater* vel Deus est *Esa.* 64. *v.* 16. eius nimirum, qui ipsum toto corde, & filialiter diligit, doctrinæ fidem habet, mandatis obedit, & paternum affectum ab ipso expectat; vel Abrahamus *Rom.* 4. *v.* 16. *Gal.* 3. *v.* 7. eorum, qui eandem spem & expectationem cũ eo habent; vel Apostoli 1. *Cor.* 4. *v.* 15. *Philem. v.* 10. illorũ, qui per verbum eorum regenerantur. *Mater;* Ecclesia; cui non per conversationem externam inseruntur liberi, sed per fidei in Christum unitatem, fides igitur Ecclesiam, vel dat, vel negat matrem. *Semen* est Verbum Dei *Luc.* 8. *v.* 11. 1. *Pet.* 1. *v.* 23. ex quo solo &

unico nascuntur Christiani; fratres ergò sunt, qui semen suæ originis unum habent, idemq; *Charitas* requirit 1. spiritualem fidei consensum. 2. adeoq; pacem spiritualem. 3. unanimem bonorum spiritualium conservationem. Contrà: alium patrem, aliam matrem, aliud suæ originis semen agnoscens, nec fraternam caritatem nobis demonstrans, nec frater censetur. Talis verò est; 1. qui Deum patrem non agnoscit, doctrinam eius corrumpit, mandata depravat, affectum paternum non expectat. &c. 2. Abrahamum; qui eadem fide destituitur. 3. Apostolorum doctrinam scriptam insufficientiæ arguit, violenter contorquet, ad errores palliandos usurpat.

Error III.

Opinio privata non est imputanda toti cœtui, qui quid sentiat, ex publicis eius scriptis petendum est.

5. Quando † errores Photinianorum arguuntur ex scriptis illorum hinc inde collecti; graves querelas illi tollunt, malè ac præter fidem secum agi, quòd privatæ autorum quorundam opiniones toti illorum cœtui

cœtui imputentur, saltem ut illi hominibus reddantur exosi. An verò deceat id, quod privati est judicij, omnibus adscribere, sensatis & pijs judicium committunt. Sic enim *Smals.* cont. D. Frantz. disp. 1. pag. 17. *Ait Frantzius, sic respondere nos, quos Antitrinitarios vocat, ipsum rubum ardentem dici angelum, in quo præsens fuerit, & ex quo locutus fuerit Deus ipse: cum tamen unus tantùm sic respondeat, nempe Emedinus: apud alios verò nostræ Ecclesiæ scriptores nihil tale reperiatur. An verò deceat id quod privati est judicij, omnibus adscribere, sensatorum & piorum judicium esto,* & pag 26. *quod, si aliquis eam* (objectionem) *attulit, non pro communi tamen omnium objectione habenda fuerat, ut eam habet Frantzius, qui objectionem eam Photinianorum appellat.*

EXAMEN.

Cum † disputantes in quæstione controversa, simulq; in principio, ex quo disputatio suscipitur, convenire oporteat, nihil certè eos magis dedecet, magis etiam impedit ac remoratur, quàm controversiæ fictio, & à mente adversarij declinatio; tunc enim pugnatur in ventum & absque hoste. 2.

Sed

3. Sed † etiam iniquissimum judico, privati unius & alterius opiniones, toti imputari cœtui: quis enim nescit, ea interdum esse privata judicia, quæ toti Ecclesiæ, aut cœtui omninò displiceant & adversentur. At; suprà scriptam querelam dixi errorem Photinianum, tùm quòd à nostris id fieri nondum sit evictum; tum, quòd in termino *Privata opinio* insignis ambiguitas lateat. Ostendam igitur 1. fraudem, quam adversariorum querela occultat. 2. necessitatem in opiniones illorum studiosè inquirēdi. 3. Quinam errores ex scriptis eliciti pro publicis cœtûs dogmatibus, aut privatis opinionibus haberi debeant.

4. I. Ediderunt † annis abhinc circiter novem Photiniani *Catechesin* germanicam, Academiæ huic inscriptam, præter quam non credo, extare scriptum alterum, nomine cœtus Photiniani editum. Sed in eo quid præter controversiæ de S. Trinitate tractationem ampliorem, nisi puræ putæ dogmatum Christianorum negationes? ut vix ac ne vix quidem extremas sapientiæ Photinianæ lineas inibi deprehendere liceat.

5. Neq; † verò has saltem, sed ut error solet esse fœcundus, tum privatim tum publicè in concionibus, in congressibus, imò etiam editis

editis scriptis dogmata horrenda, quàm plurima imperitis instillant, de quibus in Catechesi ista ne verbum. Atq; hisce modis liberum sibi volunt esse, homines seducere, nec tamen videri, quòd errores hos, illosq; Photiniani foveant: sed opiniones suas privatas, Socinus, Eniedinus, Ostorodus, Smalcius, alijq; proponant, quò & in errores miseri mortales præcipitentur, & sectæ Photinianæ sua permaneat autoritas & pietatis opinio.

II. Quandoquidem † tantis clamoribus, tantisq; pollicitationibus, cœlestem sapientiam crepant, eaq; specie non nullos circumveniunt, ac turbas dant Ecclesiæ; postulat necessitas, ut in illorum errores sollicitè inquiramus 1. ut probentur Spiritus, an sint ex Deo. 1. *Ioh.* 4. v. 1. 2. ut turbæ in Ecclesia excitatæ sedentur. 3. ut seductis, quiq; artes diaboli in lucis angelum se transformantis, non satis deprehendunt, succurratur. Quem in finem privata autorum scripta evolvere oportet, ut ex ungve leo, ex fructibus arbor cognoscatur ac judicetur. 6.

III. Nemo † dextrè judicans omne id privatam opinionem esse statuet, quicquid tantùm autores habent privati; in publicis verò ac nomine totius cœtus editis scriptis non 7.

inveni-

invenitur, siquidem privata non uno modo fiunt publica. 1. *per publicam autoris conditionem*, qui vel cœtus cuiusdam particularis est Doctor, qualem Smalcius Racovienſis se profitetur, vel totius ditionis aut regni, qualis per Tranſylvaniam Eniedinus &c. & hi quidem non tàm opiniones proprias, quàm gregis sui (à paſtore suo non diſſentientis, potius ab ore illius pendentis) ſcribere putantur: Ut opiniones Smalcij ſint Photinianorum Racovienſium, Eniedini Tranſylvanorum, Socini integræ colluviei, quæ ab eo etiam *Socinianum* nomen ſibi indidiſſe fertur: vel à toto cœtu ad ſcribendum ſubornatus; qualiter profitetur Socinus; (vel quisquis etiam ſcripti illius autor) ſe in Synodo quadam publicè rogatum, & tantùm non juſſum eſſe, contra Wieckum ſcriptum adornare. *pag.* 4. & forſan non incommodè huc refero Smalcianam theſium Domini D. Frantzij refutationem. Ut enim ille Catecheſin nomine Photinianorum Polonicorum ediderat; Sic apologiam non niſi cœtus eiusdem nomine & loco adornaſſe, meritò putatur. Hæc ergò ſcripta Socini & Smalcij eſſe deſinunt, facta publica totius cœtus.

8. 2. *Per † plurium autorum conſonantiam.* Etſi ſuſpicio aliqua ſuboriri poſſet, quæ u-

nius

nius est assertio, cœtui non probari, attamen, quando autorum plurium, eorumq; apud suos in magna existimatione constitutorum, harmonia, & consensus se offert, jam aliter judicare non possumus, quàm totum cœtum, cuius membra vel potius Antesignanos se illi scriptores profitentur, ita docere, quemadmodum istos uno spiritu confitentes cernimus, præsertim quia ipsi non scribunt, ut suas opiniones, sed cœtus dogmata nobis pandant, idcircò subindè pluraliter loquentes scribere solent: sic *docemus*: Ita verò *statuimus*: non est hæc *nostra* doctrina &c. Idq; argumentum valet, hoc præsertim tempore, quo nec sordes eorum adhuc satis innotuerunt, neq; absurda & errata Photiniana aliunde, quàm privata scripta legendo deprehendere possumus.

3. *Per † tacitam totius cœtus approbationem.* 9. Errores adeò insignes atq; horrendos cùm proferant autores illi, qui hodiè inter Photinianos clarent, non possumus non graviter suspicari, totum gregem Photinianum scabie eadem esse infectum. Quia totus cœtus 1. scripta eiusmodi sine acriori censura typis evulgat. 2. distracta atq; divendita, nihil mutata, aut correcta recudit. 3. nihil contradicit, nec ab errorum suspicione publicè (sine dubio nec privatim) se liberat nec etiam eorum autores sui cœtus membra,

bra, (si non capita) corrigit, & 4. scripta illa erroribus & absurdis tumentia, ut sancta exosculatur, & passim nemini non legenda mittit, commendat obtrudit. Quod annon est, privata facere publica? Dictis ergò modis venamur cœtus Photiniani Errores, neq; præter rem aut æquum cum illo agere sperantes, neq; à controversijs quicquam declinantes. Sin tamen diversum adhuc visum illi est, facilè errores suorum primatum, ipsi imputare desistemus, sed ita; ut 1. publicè eos corrigat, seq; ab illis alienum coram tota Ecclesiâ profiteatur. 2. pleniorem edat confessionem, neq; in tenebris, quibus se involutum cupit, delitescere pergat, sed ad lucem veniat.

10. Demiq; † nolo offendi adversarios, si unius autoris privatam opinionem dicam, *Errorem Photinianum*; id enim facio, non saltem, quia per causas modò allegatas ipsum communem esse ac publicum suspicio est, verum etiam, quia autor iste sive Smalcius, sive Ostorodus, sive quis alius, professione *Photinianus* est: & ideò errorem non incommodè Photinianum dicimus; licet eum toti illorum cœtui, nisi ab eodem vel silentio vel professione approbatum, adscriptum nolimus.

ERROR IV.

Error IV.

Quicquid humana ratio falsum esse pronunciat, hoc in Theologia neq; verum esse potest, neque in Sacris literis doceri credendum est.

PHotinianos † humanam rationem constituere principium Theologicum & normam judicij capitum fidei ac Religionis, suprà fuit assertum. In tantum verò extollunt rationem, ut simpliciter concludant; ratio clamat hoc falsum esse ergò falsum est: nec attendentes id, quod scriptura docet. Nam 1. simpliciter faciunt rationem dogmatum judicem. Sic enim *Socinus* de autorit. script. cap. 2. pag. 54. *Nullo modo verum esse potest cui ratio prorsus communi sensus repugnet.* Item. *Aliud est alicui rei repugnare, aliud verò eam non assequi, nec percipere. Non potest fortassis quispiam ratione, aut via aliqua naturali assequi, quomodo homo mortuus revivisere queat, sed non idcirco docet, aut ratio, aut natura, id prorsus fieri non posse.* Smalc. cont. D. Frantz. disp. 4. pag. 137. *Nulla est Christiana religionis particula, quæ*

cum ratione non conveniat; & quæ cum ratione non convenit opinio, ea etiam in Theologia nullum locum habere potest. Ut parva lux magnæ, sic ratio sacræ scripturæ non est contraria. Doceat Frantzius vel quivis alius, unam aliquam sententiam sacrarum literarum pugnare cum ratione, & tunc taceat ratio in Ecclesia. Supra rationem multa habet religio, & scriptura sacra & hoc ipso maximè se ipsam commendat: at, quod contra rationem sit, nihil; imò si rationi religio adversaretur, hoc ipso suam falsitatem proderet; & religio non esset. Summa enim & ipsa ratio est religio. Similia plura habet *disp. 5. pag. 165. disp. 12. pag. 337. disp. post. 8. pag. 421.* Item *contra Scop. de Trinit. pag. 21. primùm & principaliter valere debet verbum DEI, in religionis negotio: postea verò argumenta ex sana ratione desumta sperni nullo modo debere, plurima sacrarum literarum loca, quæ rationibus humanis nituntur, ostendunt. Et sane, qui rationem sanam post verbum DEI aspernantur in religione, ij religionem suspectam hoc ipso apud omnes cordatos reddunt.*

2. 2. Per † judicium rationis dogmata quædam repudiant, de *S. S. Trinitate* scribit *Osiorod.* Instit. cap. 4 pag. 30. So aber jemand sagte/ das dieſe vnſere ratio nicht gelte/ ſintemal in H. Schrifft ſolch dinge von Chriſto dem Sohne Gottes/ vnd dem heiligen Geiſt geſchrie-

geschrieben sind/das/ wo man nicht wolle zugeben/ ja für gewis halten/ das zwar nur allein ein wesen Gottes sey / aber drey Personen/Kurtzumb folgen müsse/ das nicht allein ein Gott/sondern drey Götter sind. Hierauff geben wir zur antwort / das es höchlich zu beklagen sey/ das die Menschen in solch eine grobe blindheit gerahten: nach demmal es vnmüglich ist / das ein ding zugleich könne falsch vnd warhafftig sein. So denn nu die ratio, das ist / Vernunfft oder verstand ausdrücklich beweiset/ die dreyheit der Personen in Gotte falsch zu sein/ wie sol denn immermehr einem verstendigen Menschen in Sinn kommen / das dieselbe gleichwol könne war sein / vnd mit Gottes Wort bewiesen werden? *Si quis rationem nostram valere negaverit, siquidem in Scripturis ea de Christo filio DEI & Spiritu sancto scribuntur, ut, ni concesserimus, imò certò statuerimus, unam quidem esse DEI essentiam, sed tres personas, sequi necesse sit, non saltem unum esse DEUM, verùm tres Deos. Ad hoc respondemus: deplorandum esse, quòd homines in tantam cœcitatem incidant; quandoquidem impossibile est, rem unam simul esse falsam & veram. Si autem ratio vel intellectus expressè probat personarum in DEO Trinitatem esse falsam; quomodo homini sano in mentem venire potest,*

nihilominus hoc verum esse ac verbo Dei probari posse. cap 6. pag. 42. Womit wollen sie beweisen/ das ein Mensch entweder schüldig sey das zu glauben/ oder auch das könne glauben war zu sein/ was der Verstand klärlich bezeuget/ das es falsch sey? *quo medio probabunt, hominem teneri credere, vel etiam posse credere, verum esse, quæ falsa esse, intellectus clarè testatur.* Duas esse in Christo naturas impugnat *Cateeh. Racovien. cap. 1. pag. 48. 49.* Quæst. *Cedò, qui rationi sanæ repugnet,* Resp. *primò ad eum modum quod duæ substantiæ proprietatibus adversæ coire in unam personam nequeant, ut sunt mortalem & immortalem esse: principium habere, & principio carere; mutabilem & immutabilem existere.* *Deinde, quòd duæ naturæ personam singulæ constituentes in unam personam convenire itidem nequeant. Nam loco unius duas personas esse operteret, atq; ita duos Christos existere, quem unum esse, & unam ipsius personam, omnes citra omnem controversiam agnoscunt. Peccatum originis* ex ratione negat *Smalcius Cont. D. Frantz.* scribens: *Eum qui innocens creatus erat, semel peccando omnes in perpetuum peccato infecisse, rationi prorsus est contrarium. pag. 60.*

3. Ex † quibus conspicitur. 1. Adversarios in judicandis fidei negotijs rationi sedem

dem judiciariam concedere, sed (verba si spectes) secundam, scripturæ primam. 2. Distinguere inter ea quæ sunt supra, & quæ contra rationem. Quæ supra, non posse â ratione repudiari; posse autem, quæ illi contrariantur. Ex quibus hæc ipsorum thesis elicitur. Quicquid ad fidem verè spectat, hoc, quamvis rationem superare possit, illi tamen non repugnat: Quicquid autem rationi est adversum, hoc inter fidei articulos nullo modo numerari potest.

EXAMEN.

Pro † statu formatione duo sunt considerandа. 1. Quousq; rationis usus in Theologia admittendus, & quousq; non? 2. Quid sentiendum de distinctione Photinianis frequente inter id, quod est supra rationem, & quod contra rationem. 4.

Prius † Rationem â judicio theologico excludens, nolo *facultatem naturalem* in homine summam, quæ mens & intellectus dicitur, exclusam: ut enim homo mysterium fidei præ irrationalibus solus capax sit, facit ratio, sine qua ipse idoneus Spiritus S. discipulus non fuerit. 2. *Principia cognitionis generalia*, & ipsi intellectui connata, aut ex certo sensuum judicio deducta ex agro theologico minimè proscribo, omnino sta- 5.

nò ſtatuens abſq; ijs nullũ cuicunq; diſcurſui ſupereſſe locũ, ideoq; illa in cõſideratione rerum divinarũ omninò attẽdenda eſſe; præſertim, quia frequenter fit, ut certus ſcripturæ locus (ſive is in argumẽtatione majorem, ſive minorẽ teneat) alterutram propoſitionem ex ratione petendã ipſe etiam ſubminiſtret. V. C. Quando in Deo probamus perſonas plures, adductis teſtimonijs quibꝰ affirmatur in Deo eſſe mittens & miſſus, argumentũ poſſumꝰ formare iſtud: Ubicunq; eſt mittens & miſſus, ibi ſunt plures perſonæ. Sed in eſſentiâ DEI ſunt mittens & miſſus. Ergò in eſſentiâ Dei ſunt plures perſonæ: ratio ipſa generaliter intelligens miſſionis cõditionem, nec nõ mittentis ac miſſi relationẽ, facilimè animadvertit, ubicunq; ſermo eſt de eſſentia rationali; & relatio iſta deprehẽditur, illic ſe ad agnoſcẽdã perſonarũ pluralitatẽ remitti: imprimis verò ipſa ſubſumtio majoris notitiã in homine intelligente requirit ac poſtulat. Hactenus ergò ratione opꝰ. 3. Ideoq; vel digitis ſuis numerare poſſunt adverſarij, nõ excludere nos *argumẽtationes*, atq; diſcurſꝰ Logicos â noto ad ignotũ: quæ cauſa, ut in ipſis maximopere culpemus, quòd uſum conſequentiarum in rebus ad ſalutẽ pertinentibus admittere recuſant. 4. Neq; improbamus eorum operã *qui Adverſarios contra cœleſtem veritatem ex humana ratio-*

ratione agentes ex ejusdem fundamentis confu-
tant: Ita tamen; ut 1. res omnis (cùm sit Theo-
logica) prius ex scripturâ sufficienter probe-
tur. 2. Eadem nõ ducatur ex ratione, nisi ἐκ
περιουσίας & secundariò, h. e. non ad rem
propriè stabiliendã, sed jam tùm satis stabi-
litam exabundanti ulterius confirmandam:
vel etiam ex hypothesibus & confessionibus
adversariorum proprijs, ad demonstrandũ,
necessarium esse adversarijs, aut confessionẽ
propriã falsitatis arguere, aut simul ὀρθοδο-
ξίαν nostrã admittere. 3. Ideoq; non ducan-
tur ex ratione argumenta, quasi & hinc dog-
mata extruere, sit opus: neq; respondeatur
adversarijs, dogmata evertere laborantibus,
quod id facere ex lege & quadam necessitate te-
neamur, sed citra ullum debitũ ex libera volun-
tate. Summa: Discursus secundum rem, &
materiam, ex ratione petiti, ne sint funda-
mentum rerum theologicarum, quantum
ad veritatis demonstrationem; nec quan-
tum ad nostræ fidei confirmationem: sed
quantum ad contradicentium secundariam
& ceu superfluam confutationem.

Cum † ergò ratione dogmatũ fidei nor- 6.
mã esse negamus, attenduntur 1. *res* sive ma-
teria tractãda. 2. *principia* quę toti tractationi
substernũtur, & ex quib. illa d citur. 3. prin-
cipiorum ad materiã Theologicã *applicatio.*

Primũ: † Fatentur Photiniani, in Theolo- 7.

gia dari, quæ vim, & acumen rationis effugiant, & sint ratione superiora: quo admisso, ipsi non diffirentur, in aliquibus rebus theologicis non audiendam rationem, nec enim quis docere aut judicare potest in ijs, quæ & quatenus altitudine sua captum illius superant; quæq; ipse fatetur se non intelligere. Talia verò sunt ea, quæ ad Theologiam propriè spectant omnia, quatenus ex revelatione non amplius petuntur. Nam ad Theologiam propriè spectantia innotescunt ex revelatione tali, quæ imperfecta est, 1. *Cor.* 13. *v.* 9. 12. & multa futuro seculo reservat: rationi itaq; in revelatione operanti, & intra revelationis limites semet continenti non contradicimus; eandem verò ultra revelationem in scrutandis mysterijs progredientem non admittimus; siquidem de talibus, quæ per divinam revelationem innotuerunt, quicquid ultra revelationem ratio ex se generat, ad minimum incertum est, ut nec fides inde hauriri, nec dogma judicari possit.

8. Secundum. Omnis doctrina oritur ἐκ προυπαρχούσης γνώσεως; & docentem seu judicantem oportet principijs undiq; certis, & omni dubio superioribus niti. Non verò sufficit illorum principiorum necessitas; Sed quia non ex quolibet certo, quidvis

aliud

aliud deduci potest; oportet cognitionum principia esse rei, seu materiæ cui substernuntur ὁμογενῆ; *non aliena, & peregrina*; quemadmodum enim principia exsutoria arte petita, nil certi efficiunt in fabrili, aut architectonica &c. Neq; principia medica in Jurisprudentia, aut vicissim concludunt, (eorum quæ Facultas una ex altera ceu mutuo sumit, alia est ratio) Sic & in Theologiâ propria oportet statui principia. Rationem quod attinet: habet illa principia quædam generalia & universalia, quæ per omnes disciplinas vagantur, & à scripturâ non uno modo approbantur. Ea nos in Theologiâ sic admittimus, ut quoties locum propositionis alterutrius in argumentatione, tenent, materiam assumant, non nisi ex revelatione petitam; hoc tamen ipsum cum hac restrictione: *nisi quid aliud requisierit scriptura*: Nam ex nihilo nihil fieri, ratio clamat: aliquid fieri, scriptura: compescenda ratio, & audienda scriptura. Præter hæc cudit sibi ratio principia particularia seu specialia, ex sensuum operatione, usu, & experientia: quæ & ipsa, ratione objectorum à quibus petuntur, suam habent certitudinem: in mysterijs autem fidei vel prorsus sunt heterogenea vel saltem dubium, an sint homogenea. V. C. Unius essentiæ non est

nisi una persona: in Deo falsum est: nec potest probari, eandem, quantum ad hoc, esse conditionem Dei & hominum. Generans tempore prius esse generato, in Deo falsum, & Photinianis ad minimum dubium est: nec enim certitudine infallibili affirmare possunt, rem ita se habere in Deo. A privatione ad habitum dari regressum, negat ratio: scriptura resurrectionem mortuorum adstruens, affirmat. Virginem parere, ratio negat, scriptura affirmat.

9. Quapropter † talia axiomata & pronunciata in Theologia ceu ἑτερογενῆ aut veritatem habent nullam, aut saltem certitudinem nullam. Et hactenus rationem docentem, judicantem, contradicentem, non audimus: Vel ideò, quia quævis disciplina sua habet principia specialia & peculiaria, ex quorum ignorantia plurimi nascuntur errores; ea verò principia, si aliunde allata rebus Theologicis applicentur, non prius attenduntur, quàm à Theologiâ hûc assumantur.

10. Tertium † Ratio principia sua Theologiæ non applicet, quando ipsi visum fuerit, verùm expectet, quando Theologia illis, præmonstrante cœlesti verbo, uti voluerit, & ex ratione ipsa requisierit: stat igitur principiorum rationis ad res Theologicas appli-

applicatio penes judicium Theologiæ, non autem rationis. Ideò ratio dogmatibus fidei non debet pro lubitu *imperare*, (quippe captiva sub Christi obsequio) sed quoties Theologia ipsius ministerio indiguerit, *servire*. Imperat verò, ubi dogmata ex verbo divino stabilita (forsan ideò, quia mysteria fidei non intelligit, & ex hoc defectu non videt, quomodo cum pronunciato Spiritus sancti suum axioma conciliari debeat, ut utriq; sua veritas constet, & consequenter, de re non satis intellecta judicans falsò sibi persvadet, doctrinam fidei cum suo principio conciliari non posse) falsitatis arguit: Recte igitur & hactenus è foro Theologico eliminatur ratio.

Breviter: † *Rationis usum in Theologia admittimus*: quantum 1. ad facultatem naturalem. 2. ad discursum Logicũ 3. eumq; ad uberiorẽ hostium veritatis cõfusionem, ultra sufficientẽ rei probationem ex abundanti institutum. *Non admittimus* 1. quatenus judicare vult de re, quæ non nisi per revelationem innotescit. 2. quando ea, quæ ex parte quidem sunt revelata, ex parte verò occulta; scrutari attentat, quatenus illa Deus certo suo consilio nos latere voluit. 3. quando rebus ex scriptura probatis, ratio, instituto ex suis principijs discursu, contrarium 11.

trarium obtinere nititur. 4. Cùm ipsa, licet principia Theologiæ, propria vel ignoret, vel non adhibeat, ex suis particularibus principijs, à Theologiâ alienis, decretum nihilominus Theologicum facere præsumit.

12. Posterius.† Esse quædam *supra*, quædam *contra* rationem; non vocatur in dubium. Est enim supra rationem, homines in pulverem ac cinerem redactos, per divinam potentiam & operationem ad vitam redire: Contra rationem, per ordinarium causarum naturalium cursum id fieri. Itaq; attendendum est; tunc demum esse quid contra rationem, quando necessarium aliquod illius principium convellitur, ut nulla
11 prorsus ratione salvari possit, quò minus isto pronunciato evertatur. Exempli gratia: ex nihilo nihil fit; naturaliter est rationis dictamen: huic planè, ac è diametro repugnat illud: ex nihilo aliquid fit naturaliter: ut stante hoc, illud corruat: hîc rectè dico: ex nihilo aliquid fieri naturaliter, est rationi contrarium. Aliter autem se res habet, quando isti axiomati: ex nihilo nihil fit; opponitur creatio: illa enim rectè negatur esse contra rationem: quia duo hæc themata: ex nihilo non fieri aliquid, per vim naturæ, & ex nihilo fieri aliquid per vim Dei su-

perna-

pernaturalem se mutuò non destruunt, sed utraq; simul potest esse vera.

Jam † vero: qui de tali ἀντιθέσει rectè 13.
vult judicare, necesse est ut 1. utrumq; pronunciatum, rationis & Theologiæ, rectè intelligat. 2. habeat mentem omni προλήψει & ante conceptâ opinione vacuam, ac omninò liberam. His positis non facile erit affirmare, esse quoddam Theologiæ effatum contra rationem: illud enim vel cognosco, vel ignoro: si prius, facili operâ conciliantur, quæ aliâs pugnare videntur. Vt: à privatione ad habitum non datur regressus per causas Physicas: at; in mortuorum resuscitatione datur regressus à privatione ad habitum per causam hyperphysicam, cujus potentiam nemo mensurare aut circumscribere potest. In uno supposito non sunt duæ naturæ seu substantiæ completæ ac perfectæ, per causas naturales: at in unum suppositum duæ substantiæ completæ per virtutem divinam (quæ valet operari omnes nostras cogitationes superantia, *Ephes 3. v. 20.*) coire possunt. Item: unum non est tria, aut vicissim; nimirum, respectu eodem: diverso autem, res eadem simul potest esse unum, & tria. Atq; hactenus rationi non repugnat, Deum essentiâ unum, personis tamen esse trinum. Si posterius:

hoc

hoc est, si rem Theologicam ignoro, aut saltem non certò, & evidenter cognitam habeo, nullam contradictionem infallibili certitudine extruere possum. Ut: in una singulari essentiâ non esse nisi unam personam, in naturâ certum est: at, in una essentiâ esse plures personas extra, & supra naturam, in Deo, ad minimum nesciunt Photiniani; non ergò possunt infallibili certitudine pronunciare, ut in Una Dei essentia sint plures personæ, contrariari rationi; potius verò agnoscere oportet, decisionem illius quæstionis, an rationi sit contrarium, in una Dei essentia plures esse personas? non posse à ratione decidi (ob ignorantiam eius, quod potest esse in Deo peculiare) & idcircò fateri, excedere hoc rationis acumen, adeoq; esse supra, non contra rationem.

14. Summa: † si axiomata rationis ita limitemus (hoc est, rationem sub fidei obsequium ita cogamus) ut illa omnipotentiæ divinæ non præjudicent, & ea, quæ nobis de Deo sunt occulta, sinant esse occulta, nec de illis ita judicent, ac si probè essent cognita, tunc QUOAD REM, eiusq; veritatem, nihil in tota Theologia est contra rationem, sed omnia supra illam. Si verò hos limites excesserimus, jam nihil manebit in Theologiâ integrum: tàm enim impossibile, &

tàm

tàm repugnans rationi censebit gentilis (imò & Thomas Apostolus *Johan.*20.v.25.) mortuos, multò magis in cineres conversos resurgere, quàm Photinianus negabit, in una persona posse duas perfectas essentias subsistere, vel in una essentiâ plures personas. Et hactenus multa occurrunt in Theologiâ, quæ rationi sunt contraria, non tamen aliter, quàm Secundum Apparentiam.

in Theologia multa sunt contraria apparenter, sed non vere & realiter.

Quia † verò apparentia isthæc, ex præconceptis opinionibus plerumq; nascitur, ut ex omnium eorum, qui rationis judicium tàm strictè urgent, scopo, ac intentione cuivis cernere est promtum: Itaq; concesso, quòd Realis contrarietas rationis, ac Theologiæ non sit, posito autem, quòd ratio non rarò Religionis dogmatibus Appareat contraria, ut ratio per se opinetur, esse contrarietatem veram & realem; nec etiam aliter statuere possit: quodq; hinc nascatur controversia: an in eiusmodi dubio, quando dogmati Religionis videtur repugnare principium & axioma rationis; annè tunc judicium de isto fidei capite ex ratione sit instituēdum? Negativam ex his fundamentis obtineo. 15.

I. Quia † ratio humana per se ipsam mysteria regni cœlorum nescit. 16.

De

De ignotis nullum esse judicium, constat: quòd rem prius oporteat cognosci, quàm judicari: Inde cœco de coloribus judicante, aut surdo de musica, nihil absurdius. Sed humana ratio per seipsam nescit mysteria cœlestia, utpote à seculis abscondita, per scripturas Prophetarum demùm patefacta *Rom.* 16. *v.* 25. Nec potest quisquam ire inficias; sine revelatione hominem illa cuncta latere; dicente Johanne *cap.* 1. *v.* 18. *Deum nemo vidit unquam, filius, qui est in sinu patris, enarravit nobis.* Et Paulo *Rom.* 10. *v.* 14 *quomodo credent ei, quem non audierunt?* 1 Cor. 2. v. 11. *Quæ sunt Dei, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. v.* 7. *Loquimur Sapientiam Dei in mysterio, quæ abscondita est.* Matth. 11. v. 27. *Nemo novit patrem nisi filius, & cui filius voluerit revelare.* Cap. 16. v. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi &c.* Utq; spem vocationis sciamus, spiritu sapientiæ ac revelationis est opus *Eph.* 1. *v.* 17. 18. Cap. 3. v. 20. *Potest Deus abundanter facere supra ea, quæ petimus aut cogitamus* Esa. 55. v. 8. 9. *Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ, nec viæ vestræ, viæ meæ. Quantò altiores sunt cœli quàm terra, tantò altiores sunt viæ meæ, quàm viæ vestræ & cogitationes meæ, quàm cogitationes vestræ.* Ideò fides non est ex ratione, sed auditu verbi *Roman.* 10. *v.* 17. Ergò humana ratio per se ipsam mysteria fidei non judicat.

Si†

Si † dicant: Non judicat de planè ignotis, attamen de quodammodò revelatis, 17.
Resp. 1. Concedunt ergò, rationem non judicare de non revelatis: Cùm autem plurima in abyſſo divinæ ſcientiæ lateant, quorum revelationem plenam in altera demûm vitâ expectamus: nunc autem in fide ambulantes minimè negamus; ſiniſtram oportet eſſe Antitrinitariorum ex rationis dictamine in Sacro S. Trinitatis myſterium ſuſcepta diſputatio: Non diſſimilis illi; quam quis Aſtronomiæ rudis (cui peritus Aſtronomus cœlum & aſtra quàm velociſſimè moveri teſtaretur) motum illum tanquam omni rationi repugnantem inficiaturus moliretur: qui ob artis imperitiam de re quidem auditâ, non tamen ex veris fundamentis cognitâ, adeoq; verè ignotâ judicaſſe diceretur. 2. Addo autem, myſteria etiam audita rationi ex proprijs principijs judicanti eſſe occulta: Naturalis enim homo nequit percipere Spiritualia, quæ, ſi audiat, ſtultitia ſunt illi, nec poteſt intellige-re. 1. *Cor.* 2. *v.* 14.

II. Quia † Deus nuſquam & nunquam humanæ rationi judicium in rebus fidei conceſſit. Multoties DEUS nos omnia probare juſſit 1. *Theſ.* 5. *v.* 21. 18.

Probare Spiritus, an sint ex DEO. 1. *Joh.* 4. *v.* 1. Cavere & cognoscere Pseudoprophetas *Matt.* 7. *v.* 15. Cui negotio, cùm ipse media sufficientia ordinasse credendus sit; & verò ad verbum, & scripturam Sacram sæpissimè nos remiserit *Joh.* 5. *v.* 39. *Scrutamini scripturas &c. Luc.* 16. *v.* 29. *habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Esa.* 8. *v.* 20. *Ad Legem & ad testimonium: si non dixerint ad verbum hoc, non erit eis matutina lux. &c.* Rationis nusquam vel leviſſimam mentionem fecerit, nec in arbitrio noſtro fuerit poſitum, nobismet ipſis pro lubitu media eligere, quia potius ad divinitus data, neceſſariò teneamur adſtricti; utique hominibus illam, ceu veritatis Theologicæ normam, ex qua myſteria cœleſtia judicentur, datam non eſſe, infallibiliter concluditur.

19. III. Quia † humana ratio principio κριτικῷ, juxta quod, de rebus Theologicis judicandum, deſtituitur. Nulli arti, ut opera ejus rectè judicentur, nuda ratio, ejusq; κοιναὶ ἔννοιαι ſufficiunt; ſed principio ſpeciali, & arti cuivis adæquato, ex quo cenſura inſtituatur, opus eſt. Inde non judicat de Architectonica ſartor, nec de Equeſtri Achitectus; de bellica coquus,

coquus, de Metaphysica auriga &c. Non ob defectum sanæ rationis, qua bonum discerni potest â malo, verum â falso, sed ob specialis & cuivis arti *proprij principij*, EX QUO de specialibus artium operibus judicandum est, carentiam. Et hæc causa, quòd quæ arti alicui sunt facilima, & ceu puerilia, alius istius rudis clamitet impossibilia; cujus rei exemplo hodie luculento ars Chymica esse, posset. Atqui; humana ratio, qualis est per suam naturam, principio illo κρίπτῳ, juxta quod Theologia, & res in ea contentæ judicantur, in universum destituitur; fatente Ostorodo loco suprà citato: Et res ipsa satis superq; loquitur. Ergò humana ratio de fidei mysterijs nil quicquam judicare potest.

IV. Quia † humana ratio cœlesti doctrinæ repugnat. *Repugnare* nihil est aliud, quàm exclamare, & totis viribus contendere, rem (cui repugnatur) esse, falsam. Si verò ratio humana cœlesti doctrinæ, quæ ipsissima veritas est, hostiliter repugnat; non potest de illa judicare. At: repugnat. *Zach. 8. v. 6. Si difficile videtur in oculis populi hujus: an etiam* 20.

in oculis meis erit difficile? ait Dominus: Rom. 8. v. 5. sq. *qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui verò secundum spiritum; ea, quæ Spiritus. Nam prudentia carnis mors est; at prudentia spiritus, vita & pax. Propter quod prudentia carnis inimica est in DEUM; nam legi DEI non subjicitur, nec enim potest.* 1. Cor. 1. v 18. sq. *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est; ijs autem qui salvi fiunt, i. e. nobis virtus DEI est. Scriptum est enim: perdam sapientiam sapientum, prudentiam prudentum reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor seculi hujus? Nonnè stultam fecit DEUS sapientiam mundi hujus? postquàm enim in sapientia DEI non cognovit mundus per sapientiam DEUM, placuit DEO, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Et v. 23. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam,* 1. Cor. 2. v. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI: stultitia enim illi sunt, & non potest cognoscere; quia spiritualiter dijudicantur.* Cap. 3. v. 18. 19. *Si quis videtur esse sapiens inter vos in hoc seculo, stultus fiat, ut fiat sapiens. Sapientia enim mundi est stultitia apud DEUM.* Liquet ergò, rationem humanam per se ipsam aliter non posse, quàm clamare, & totis viribus contendere, mysteria cœlestia (h. e. ipsissi-

ipsissimam veritatem) esse falsa. Hinc porrò argumentor. Quisquis ipsissimam veritatem falsitatis arguit; is nec de veritate judicare aptus est, nec, totis licet viribus aliquid falsum esse clamitans, audiri debet. Talis est humana ratio in Theologiam admissa; Ergo de veritate religionis judicare inepta est. Imò; repugnantia illa κριτήριον quoddam est cœlestis veritatis; ut, cui doctrinæ ratio nulla ex parte contranititur; ea nec divina nec Christiana censeri possit.

V. Quia † humana ratio, quando de rebus fidei agitur, compescenda, & captivanda est. Facultatem agentium captivitas est operationis cohibitio: Captus dicitur oculis, cujus visus ἐνέργεια, & actus secundus intercipitur. Ita ratio humana captivatur, quando judicium, quod ipsa in fidei negotio sibi arrogat, improbatur, utq; ab eo desistat; magis verò, ut se judicio superiori submittat, eiq; pareat & ad modum captivi, ac ligati ad illius nutum, & voluntatem se patiatur duci, hoc est, sua dicta sic limitet, ut Theologiæ nullo modo se opponat, jubetur. Talis captivitas præcipitur generaliter quidem *Prover. 3. v. 5. Fide in Domino in toto corde tuo, & intelligentiæ* 21.

tuæ ne innitaris cap. 14. v. 12. *est via, quæ videtur homini recta; novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Specialiter verò 2. *Cor.* 10. v. 4. 5. *arma militiæ nostræ non sunt carnalia; sed potentia DEO ad destructionem munitionum, rationes (λογισμὸς) evertentes; & omnem sublimitatem elatam adversus cognitionem DEI, & captivantes omnem intellectum (πᾶν νόημα) in obsequium CHRISTI.*

22. Notum † est exemplum *Abrahæ*, cujus quidem (ut & Saræ) ratio altissimum clamabat, falsum esse, & impossibile, DEUM stare promissis, & ê corporibus centenarijs, effœtis, atque emortuis procreare sobolem. Impossibile item, ac falsum, ex Isaaco in cineres nunc redigendo semen stellarum & arenæ instar innumerabile excitatum iri. Verùm: Abraham nil quicquam stultis istis clamoribus motus, rationem in fidei captivitatem ductam compescuit, & CONTRA SPEM IN SPEM *credidit: & non infirmatus est fide, nec consideravit suum corpus jam emortuum, cùm esset centum annorum, & emortuam vulvam Saræ; in promissione autem DEI non hæsitavit per diffidentiam, sed confortatus est fide, plenissimè sciens,*

sciens, quia, quæcunq; promisit, potens est & facere. Rom. 4. v. 18 sq. Noti *servi Naamanis* Syri, qui dominum suum rationis dictamen (quòd frustraneum, & de nihilo sit, septies lavari in Jordane, siquidem & Syriæ flumina, æquè ac Jordanis salubria lepram nequaquam abluant,) secutum revocant, de ratione captivanda consilio fideli & successu felici monent. *2. Reg. 5. v. 13. Pater mi, si verbum magnum Propheta locutus fuisset ad te, nonnè fecisses? &c.* Quid verò hi aliud agunt, quàm quòd suadent, rationem verbis Prophetæ obloquentem compescendam, & sub simplex obsequium Elisæ cogendam: & quid aliud docuit eventus, quàm pium Spiritus sancti discipulum non debere, reclamantis rationis dictamen audire, ceu stultum de operibus divinis, quæ non intelligit, judicium sibi sumens. Notum est exemplum *Thomæ*, cujus ratio magnis conatibus & machinis resurrectioni Dominicæ repugnabat, illamque manifestæ falsitatis arguebat. At is ἀυτοψία victus rationem in obsequium Christi captivandam cernens, confessione editâ exclamavit; *Dominus meus, & DEUS meus Johan. 20. v. 28.*

Hi, & qui alij, rationem (quippiam falsitatis arguentem) secuti, periculosè errantes in viam reduci non potuerunt, quàm ratione sub fidei obsequium captivatâ. Falsum ergò rationis de rebus cœlestibus judicium est, ideoq; spernendum ac contemnendum.

23. VI Quia † neq; Christus neq; Apostoli fidei mysteria ex ratione dijudicarunt. In prima Ecclesiæ fundatione Salvator noster, ut & Apostoli doctrinam ceu novam & anterioribus seculis incognitam in orbem invehentes, nec non errores inveteratos extirpantes, proprium principium de rebus Theologicis judicandi, studio ac diligentiâ singulari proposuerunt, urserunt; suoque exemplo nobis usurpandum monstrarunt. Nusquam verò mentis naturalis judicium attendisse, illoq; ut normâ, & fundamento usi leguntur. Ergò rationis judicium non est proprium principium de rebus Theologicis judicandi.

24. VII. Quia † quotquot rationem ut fidei magistram sunt secuti, turpiter errarunt. Ex suprà commoratis, hoc, quod dixi, constare potest. Erravit enim, *Naaman Syrus*, consilium Elisæ ex rationis dictamine contemnens 2. *Reg.* 5. *v.* 12. Erravit

vit *Nicodemus*, ex humano ingenio de regeneratione (quam illud impossibilem clamabat *Joh.* 3. *v.* 49. *quomodo potest homo renasci, cum sit senex? num potest in ventrem matris suæ secundò introire & renasci?*) puerilitèr delirans. Erravit *Thomas* ex eodem principio resurrectionem Christi impossibilem esse insaniens *Joh.* 20. *v.* 25. *Si non videro in manibus eius vestigium clavorum, & mittam digitum meum &c. non credam.* Manifestum ergò, rationem humanam erroribus sæpè gravissimis patrocinari; condemnatis vicissim Sacrosanctis Christianæ fidei mysterijs. Cumq; talem religionis normam quisq; minimè ferendam cernat; Hactenus ergò mentis acumen valere jubemus.

VIII. Quia † si rationem sequamur, 25
multa absurda, Philosophica & Theologica contra certissimam experientiæ & scripturæ veritatem obtinere possemus. Clamat ratio, falsum esse, quòd gallus adeò certus sit temporis & horarum nuncius: quòd sanentur vulnera ungvento Martio, sive Sympathetico à Medicis dicto, & quidem absq; contactu & subjecti &, quantum mens potest assequi, virtutis. Quòd ejusmodi nascantur her-

bæ in Indijs, aut Hiſpanijs, quæ in aëra ſuſpenſæ continuè creſcunt, licet neq; è terra, nec aqua ſuccum hauriant. Clamabit, eſſe falſa quamplura alia. *In Theologiâ:* reſurgere corpora illorum, qui ab alijs hominibus devorati rurſum aliorum generationi materiam præbuerunt. Ea enim quam Philoſophi primam materiam dicunt, ſucceſsivè in pluribus fuit ſubjectis, & quidem jam vitâ functis, ut plurium ſit futura materia, ſi illi ἀνθρωποφάγοι reſurrecturi eſſent. Clamat ratio: Virginem non poſſe, illæsâ virginitate, parere. Clamat, malum, & intentioni creatoris contrarium, animal nullum in uſum necari, & abjici. *Exod.* 13. *verſ.* 13. *cap.* 34. *verſ.* 20. Malum, animalia quorum uſus in vitâ humana poteſt eſſe, igne comburi, ut factum in holocauſtis. Hinc argumentor: Si, ſtante diſcurſu rationis, multa oppidò abſurda contra veritatem Philoſophicam pariter, & Theologicam committuntur, ſequitur, rationem, ſi in uſu ſuo vero ſe continere voluerit, ſpecialis experientiæ judicio, & Sacræ ſcripturæ aſſertis ſe neceſſariò ſubjicere.

26. IX. Quia † Photiniani ipſi rationem

tionem in fidei capitibus consulendam negant. *Primò* enim, si, ne quidem rationis discursus, quantumvis in scriptura fundatus, admitti debet (ut ipsos docentes posteà *errore septimo* videbimus) multò sanè minus unicæ rationis scripturam non consulentis, figmentum de fidei articulis nos erudiet. *Deinde* testantur, se scripturam solam velle attendere. *Smalc.* Cont. Schop. de Trinit. pag. 3. *in rebus divinis authoritate* TANTUM DIVINA *standum esse, hactenus vos Evangelici constanter nobiscum contenditis.* At; rationis autoritas nequaquam est divina, hac ergò in divinis non standum. *Tertio*; rationem ipsimet repudiant. *Ostorod. Instit. cap.* 1. *pag* 10. **Das die Menschen von GOtt/ oder von der Gottheit etwas wissen/ das haben sie nicht von Natur/ noch aus der betrachtung der Schöpffung/ sondern von hören sagen: sintemal sich GOTT von anfang den Menschen offenbaret hat.** hoc est; *quòd homines aliquid sciunt de* DEO, *& Deitate, hoc non habent à natura, neque ex consideratione creaturarum, sed ex auditu, siquidem*

Deus

Deus se ab initio hominibus manifestavit. Idem cap. 29. pag. 196. 197. Zum Ersten wollen wir besehen / ob da könne bewiesen werden / das man einen Ketzer am Leben straffen solle / oder jo zum wenigsten könne. Wir halten es dafür das es unmüglich sey zu beweisen: sintemal / weil von dieser Sache in den Schrifften des Newen Testaments nichts gefunden wird / alles vergebens ist / so wol was man aus dem Gesetz Mosis beybringet / als was man mit rationibus concludiret. Denn (damit wir vom Letzten anfangen) were es gar zu gefährlich / in solch einer grossen Sach als nemlich da von des Menschen Leben / ja von seiner ewigen Seligkeit gehandelt wird / Menschlicher Vernunfft vnnd Gutdüncken zu vertrawen: *Primùm videbimus, annè probari possit, quòd hæreticus capitis supplicium subire debeat, aut ad minimum possit. Nos arbitramur, probatu esse impossibile, quia enim hac de re in scriptis Novi Testamenti nihil reperitur, omnia de nihilo sunt, tàm quæ ex lege Mosaica producuntur, quàm quæ rationibus concluduntur. Nam (ut ab ultimo incipiamus) nimis foret periculosum, rem* TANTI *momenti, hominis vitam, imò æternam salutem concernentem* HUMANÆ RATIONI, *& judicio committere;* Argumentor hinc 1. qui, & quatenus nihil de Deo scit, is, & hactenus de illo non potest

docere,

docere, vel dogmata judicare. Ratio de Deo nihil scit, ex naturâ, & consideratione creaturarum, Ergò ratio hactenus nihil de Deo judicare debet. 2. vitam, & salutem hominis concernens non est committendum humanæ rationis judicio. Sed res Theologicæ (cumprimis quoad fundamentalia capita) vitam & salutem hominis concernunt. Ergò res Theologicæ rationi humanæ committendæ non sunt.

OBJECTIONES.

Adversus † dicta & demonstrata Smalc. pro sede rationis judiciaria firmandâ tria producit cont: D. Frantz, disputans. 27.

I.

Nulla sententia scripturæ cum ratione pugnat. *Doceat* (inquit) *Fr. vel quivis alius, unam aliquam sententiam Sacrarum literarum pugnare cum ratione, & tunc taceat ratio in Ecclesia.* disp. 4. pag. 137.

Resp. † 1. Committitur fallacia causæ. Ut enim quis judicet, non sufficit, rei judicandæ non repugnare, sed necesse insuper est, principia κριτικὰ accuratè cognoscere. Negatur ergò sequi: Scriptura non contrariatur rationi; Ergò ratio de mysterijs fidei judicare potest, ac debet. Nam ut inter 28.

disci-

disciplinas, aut artes diversas, (sutoriam puta & pictoriam) nulla est contrarietas; non tamen de pictura sutor, aut de ocreis pictor exactè judicat; quandoquidem principia, è quibus decreta sunt formanda, cuivis arti, vel disciplinæ sunt propria: quibus dum altera destituitur, opera alterius non judicat. Sic Theologia, quamvis nihil haberet rationi contrarium; habet tamen, quod ipsa per proprij principij defectum non potest assequi; ideoq; nec affirmando, nec negando verum falsumque pronunciare. 2. Quicquid è diametro humanæ rationis principijs repugnat, illud ipsi quoq; rationi est contrarium. Talia verò sunt in scripturis hinc inde obvia; & ne desint exempla manifestissima; *creationem* habes ex nihilo, quam vulgato rationis dicterio *ex nihilo nihil fit* impugnari (nisi ratio dicat, se nolle id de supernaturali potentia intellectum, & sic semetipsam Theologiæ subjiciat; aut quando ad rem Theologicam perventum fuerit, judicium suspendat,) quis non videt? Unde factū, ut gentiles sapientiores creationem vel æternitate mundi in totum elide-rent, vel materiæ mundi æternitate axiomatis sui absurditatem qualitercunque evitarent. Habes *partum virginis*, quem omnis

mnis ratio falsum ac impossibilem dictat, clamitat. Habes mirandum Domini Jesu ad discipulos *ingressum januis clausis* Johan. 20. v. 19. quomodo enim hîc ratio non querulabitur, factam contra principium, suum dimensionum penetrationem? Habes *mortuorum resurrectionem*, in ijs præsertim hominibus, quorum cadavera frustillatim disjecta vel igne cremata, alijs hominibus, bestijs, volucribus, piscibus in cibum cessêre. Negatur ergò argumenti antecedens.

II.

Vult † Deus cultum nostrum esse rationabilem Rom. 12. v. 1. *Si hoc verum est* (rationem mysterijs divinis repugnare) *frustra λογικὸς cultus noster sub novo fœdere appellatus est.* Disp. poster. 8. pag. 421. 29.

Resp. 1. † Elenchus ὁμωνυμίας in voce *rationabilis*. Certè *verus cultus sensu Photiniano rationabilis non est*; quia 1. omnis noster cultus, quamvis λογικὸς esse debeat, ex ratione nostra minimè est depromendus, dicente Christo *Matth.* 15. *vers.* 9. *frustra me colunt, docentes doctrinas mandata hominum*. Et Paulus ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων itemque ἐθελοθρησκείας, quantumvis λόγον sapientiæ haben- 30.

habentes, rejicit *Col.* 2. *v.* 22. 23. Ergò cultus λογικὸς Paulo non est is, qui ex ratione petitur 2. Omnis cultus verus est λογικὸς: sed nullus cultus, quatenus ex scripturâ desumitur, est sensu Photiniano λογικὸς: Ergò nullus cultus ex scriptura, & consequenter, omnis ex ratione petendus est. 3. Aliter autem cultus rationabilis est sensu Paulino; juxta quem λογικὸν dicitur, quod *sincerum* est, & *non corruptum*; quo sensu & Petrus hac voce (in sacris aliàs non extante) utitur 1. *Epist.* 2. *v.* 2. *Concupiscite lac* λόγικὸν, hoc est, *purum, sanum, non infectum*, vel quod ex λόγω seu verbo Dei desumitur, sive expresse id subministrent τὰ λόγια τῦ θεῦ *Rom.* 3. *v.* 2. sive per λογισμὸς ex illis hauriatur; sive deniq; à λόγω *Joh.* 1. *v.* 8. manifestatum intelligatur. Scimus enim sub veteri pariter, ac novo fœdere ad verbum DEI in rebus cultum concernentibus nos unicè astrictos.

III.

31. *Frustrà† omninò Christus rationabiliter docuit, & ex rebus, quas ratio suppeditat, de cœlestibus conjecturam nos facere voluit* Disp. post. 8. pag. 421.

32. RESP.† 1. *Rationabiliter* si cum Paulo *Rom.* 12. *v.* 1. loquaris, docuit Christus; si cum

cum Smalcio, non rationabiliter. Revelavit enim mysteria æternis temporibus tacita. *Johan.* 1. *v.* 18. *Rom.* 16. *v.* 25. Neq; vel partem doctrinæ (cœlitus delatæ) ex ratione humana hausit, sed quod vidit, testatus fuit. *Joh.* 3. *v.* 11. *Doctrina* enim *mea* (inquit) *non est mea sed ejus, qui misit me.* Committitur ergò fallacia ὁμωνυμίας. 2. Sophismate ignorationis Elenchi in eo peccatur, quòd doctrinam parabolis ê natura petitis (ad has enim respicit adversarius) involutam ex ratione depromtam ait. Aliud enim est, doctrinam ex naturâ haurire; aliud jam cognitam doctrinam per exempla, aut similia in naturâ conspicua, quodammodò illustrare. Quicquid Christus de regno cœlorum docuit, non ex vineâ, agro, tritico, reti &cær. desumsit, sed cœlestem doctrinam, ê sinu patris prolatam per parabolas ab ejusmodi rebus terrenis, ac omnibus notis petitas ob oculos nobis clariùs statuit. Atq; sic etiam, cùm hodiernis Ecclesiarum ministris minimè fas sit ê naturâ suas doctrinas haurire; Attamen, ê verbo DEI petitas per naturæ similia declarare, nunquam quisquam prohibuit. Aliud igitur est, docendi occasionem arripere, & aliud doctrinæ fundamentum statuere. Prius in parabolis Domini agnoscimus; id quod unicum pro-

bat Smalcius: Posterius non probat, quod unicè stabilimento indigebat.

Error V.

Scriptura Sacra sine speciali, & interna Spiritus Sancti illuminatione cum fructu legi, atque audiri potest.

1. Equidem † scripturam sacram esse fidei normam, inter nos & Photinianos controversum non est: omnes tamen adversariorum conatus hoc studiosè agunt, ut scripturam ad fidei directionem, ac dogmatum confirmationem ineptam reddant, idque partim modum interpretationis formando talem, per quem & omnia incerta & ambigua fiant, & ex quovis quidvis fingi, ac extrui possit, ut volente Domino suo tempore ostendam; partim verò errores profitendo, qui itidem sacris literis vim, viam salutis monstrandi adimant. Modò enim spiritualem Spiritus sancti gratiam ab earum lectione ac meditatione excludunt, modò ex sensu mystico, figurato, parabolico fidei mysteria petenda, negant; modò ad salutem necessaria sine ullo consequentiarum adminiculo ex scripturæ ῥητῷ haurienda contendunt;

tendunt; quæ, cujus sint in scholâ Christiana momenti, ordine videbimus. De primo igitur *Osiorodus Just. germ. c.* 1. § 3. de scripturæ sacræ perspicuitate differens, nostram sententiam, qua hominem sine speciali, & interna illuminatione ac revelatione Spiritus sancti nullum fructum (quantum ad æternam salutem) ex scriptura lectâ, vel audita percipere posse statuimus; non saltem prolixè rejicit, sed etiam hostiliter impugnat. Hæc enim sunt ipsius verba: Wir halten es dafür / das alle die sehr gröblich / vnd gefährlich jrren / welche vermeinen / das die heilige Schrifft / ohne vorhergehende innerliche erleuchtung vnd sonderliche offenbarung des heiligen Geistes / auff keine wege den Glauben vnd Gehorsam in den Menschen wircken könne. *Censemus, graviter & periculosè errare eos, qui putant, scripturam sacram sine præcedente interna illuminatione, & singulari revelatione Spiritus sancti nulla ratione fidem & obedientiam in hominibus operari posse.* Item: Was die andere betrifft / als köndte der Mensch ohne sonderliche innerliche erleuchtung vnnd offenbarung des heiligen Geistes keinen nutz / was die Seligkeit belanget / aus der H. Schrifft haben / wenn er sie lieset oder lesen höret: sagen wir / das (wo es anders war ist)

solches aus einer von diesen beyden vrsachen müste herkommen. h. e. *quod ad alteram* (opinionem) *ac si homo absq; singulari interna illuminatione ac revelatione Spiritus sancti nullum fructum, quantum salutem attinet, ex scriptura percipere possit, cum eam legit, vel lectam audit, dicimus nos, si hoc verum, oportere ex alterutra harum caussarum provenire. &c.*

EXAMEN.

2. Nos † ut alibi, sic in præsente controversiâ per *scripturam sacram* intelligimus, libros Mosis & Prophetarum in veteri; Evangelistarum & Apostolorum in novo Testamento: De quo utrinq; constare arbitror.

3. Hæc † *cum fructu legitur*; quando in doctrinâ, vel moribus per eam corrigimur, & ad fidem, ac pietatem in hac; ad felicitatem æternam in altera vitâ consequendam exædificamur. Fructus ergò duplex: primarius fidei, secundarius morum. Etsi uterq; hic attendatur; potissima tamen habetur ratio prioris; Conversionis scilicet ad DEUM, veræ fidei, &, quæ hujus finis est, salutis animarum: Quæ num sine speciali Spiritus sancti illuminatione, ex lectione divini verbi sequatur, quæstionis est.

4. *Spiritus* † *sancti illuminatio* vel ordinaria est, vel extraordinaria. Hanc dico, quæ ratione

vione medij, personæ, aut temporis certum quendam ordinem non observat: quales in veteri Testamento per speciales vocationes, Somnia, apparitiones, &c. In novo per visibilem Spiritus sancti, in Christianos illapsum frequenter olim contigerunt. *Illam*, quò ad personas, tempus, locum, & organum ordinariè & certo quodam modo se habentem. Discrimen hodie DEUS non facit personarum. *Act.* 10. *v.* 34. neque loci aut temporis *Matt.* 28. *v.* 19. Medium verò illuminationis ordinarium usurpat verbum, quod potentia est in salutem omni credenti *Rom.* 1. *v.* 16. corda pungens *Act.* 2. *v.* 37. & aperiens *cap.* 16. *v.* 14.

Extraordinariam † illuminationem suo tempori inservisse credimus; hodiè tamen ut cum Fanaticis, & Enthusiastis eam non expectamus, sic ordinariam nequaquam rejicimus; Hæc igitur sententia nostra; *Spiritus sanctus homines illuminans verbo suo ceu ordinario medio utitur, ita quidem, ut quemadmodum salvator noster* PER VERBUM: *tibi dico, surge; prodi foras &c. Luc.* 7. *v.* 14. *Johan.* 11. *v.* 43. *Divinâ virtute mortuos suscitavit* (*non quòd ipsis per se verbis, sed virtute divinâ quam mediante ista voce exeruit, mortui resurrexerint*) *sic ipse spiritualiter mortuos* PER *verbum Propheticum & Apostoli-* 5.

cum ad vitam spiritualem revocat, non, quòd illud præcisè, quia verbum est, cæcos illuminet, sed, quia isti verbo cœlestis & divina illuminatrix virtus à Spiritu sancto inditur, per quam surdi audiunt, & cæci vident Esa. 42. v. 18.

6. Forsan † autem extra controversiam. Photiniani statuent, quæ dixi; & quærent: Annè hoc DEI organum homo viribus proprijs ac naturalibus arripere & in sui usum atq; commodum convertere possit? quemadmodum Cicero, Aristoteles, Plato &c. scriptis suis, quibus homo per se ipsum uti potest, multos docent; An verò ultrà & extra hoc verbum divinú aliquod opus requiratur, ut illud in corde hominis sit efficax? Verum: sic nobis opinionem alienã impingunt; se autem illuminationẽ, quæ fit *per verbum* negando non levi errori implicant.

7. Cui † istam thesin oppono. *Ut Sacra scriptura, quæq; inibi continentur, ac docentur mysteria, non saltem legantur, & historicè præcipiantur; sed etiam mens humana stultitiis istis (1. Cor. 1. v. 18. 21.) plenè consentiat, prog; certissima & cœlesti veritate corde toto, ac sincero habeat; non est naturalium virium, sed DEI opus per Spiritum sanctum corda illuminantis & res cœlestes non modò in verbo revelantis, sed intus etiam persuadentis.*

Thesc-

Theſeως † hujus confirmationem peto, partim à *DEO illuminante*, partim ab *homine illuminando*, idcircò thematis veritas inde ſtabilitur. 8.

I. Quia † ordinaria, & ſpecialis DEI operatio eſt, in cordibus docere. Eſa. 54. v. 13. Johan. 6. v. 45. Dabo univerſos filios tuos doctos à Domino. *Corda illuminare* 2. Cor. 4. v. 6. DEUS illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ, claritatis DEI in facie Jeſu Chriſti. *Efficere, ut ſemen fidei* (quod eſt verbum prædicatum Luc. 8. v. 11.) *augmenta in cordibus capiat.* 1. Cor. 3. v. 7. neq; qui plantat, eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat DEUS. 2. Cor. 3. v. 7. Virtus verbi non eſt ex nobis, ſed ex DEO. *Ut corda velint bonum* Phil. 2. v. 13. ipſe in nobis operatur velle & perficere: incipiens bonum opus, & perficiens Phil. 1. v. 6. *fidem capiant* Joh. 6. v. 29. hoc eſt opus DEI, ut credatis in eum, quem miſit ille. Coloſ. 2. v. 12. in Chriſto reſurrexiſtis per fidem operationis DEI. *Dare cor carneum & auferre lapideum* Ezech. 11. v. 19. Unde & Chriſtus autor eſt, & conſummator fidei Heb. 12. v. 2. Scripturas aperiens Luc. 24. v. 32. Atq; huc tendunt promiſſiones DEI *Jere.* 24. *v.* 7. *dabo eis cor ad ſciendum me* c. 31. v. 33. *Hoc fœdus, quod feriam cum* 9.

domo Israël post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum scribam eam. Psal. 32. v. 8. *intelligere te faciam, & docebo te in via, quâ ambulas.*

10. II. Quia † proprium Spiritus sancti officium est docere homines, & quidem non saltem prius inaudita, sed etiam antè probè cognita; id, quod nihil est aliud, quàm antè prædicata cordibus auditorum *persuadere*, ut, quæ modò videbantur inepta, nunc sint cordi rata. Joh. 14. v. 26. Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis. *Ducere in veritatem.* Joh. 16. v. 12. 13. adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cum autem venerit spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Ephes. 5. v. 9. 10. Fructus Spiritus est in omni veritate, ut probetis, quid sit beneplacitum Domino. *Dare intelligentiam* Job. 32. v. 8. inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Ephes. 1. v. 17. Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ, & revelationis in agnitionem ejus; illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus. *Fidem operari.* Gal. 5.

Gal. 5. v. 22. fructus Spiritus fides. *Agere filios Dei* Rom. 8. v. 14. quicunq; spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. *Depositum cœlestis veritatis servare.* 2. Tim. 1. v. 14. horum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis.

III. Quia † Spiritus sanctus operatus est in hominibus, ut consentirent verbo. 1. in *Apostolis* Joh. 14. v. 26. Spiritus sanctus docebit vos omnia: cui promissioni respondet impletio Act. 2. v. 4. 11. Cœperunt loqui varijs lingvis magnalia Dei, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (quemadmodum & Salvator intellectum aperiebat discipulis, ut vaticinia de ipsius passione, & resurrectione assequerentur) 2. *In Lydia*, purpurarum venditrice, cuius cor aperuit Dominus, attendere his, quæ dicebantur à Paulo Act. 16. v. 14. 3. *In Corinthijs* 1. Cor. 2. v. 12. 13. nos accepimus spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus 2. Cor. 3. v. 3. Epistola estis Christi, scripta non atramento, sed spiritu Dei viventis: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. 4. *In auditoribus Johannis* 1. Joh. 2. v. 37. non necesse habetis, ut aliquis 11.

vos doceat sed unctio (Spiritus sanctus) docet vos de omnibus.

12. IV. Quia † naturalis hominum ratio in spiritualibus est cœca. Cœcitatem dico non illam saltem, qua homo per se ipsum divina mysteria non invenit, aut speculationibus mentis suæ perscrutatur. *Esa. 55. v. 9 sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris & cogitationes meæ à cogitationibus vestris Psal. 73. v. 22. Ego insipiens & non cognoscebam, jumentum eram apud te &c.* Verùm etiam, qua ne quidem revelata, & clarissimè proposita valet assequi, & intelligere. *Ioh. 16. v. 12. Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modò* 1. Cor. 2. v. 14. *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi & non potest intelligere.* 1. Cor. 1. v. 21. *Mundus per Sapientiam non cognovit Deum.* Eaque de causa scriptura est liber obsignatus. *Esa. 29. v. 11. Apoc. 5. v. 2. seq.* Non sufficit ergò, verbum proposuisse; opus insuper est præceptore intellectum efficaciter transmutante.

13. V. Quia † naturalis hominum ratio doctrinæ cœlesti repugnat. Pertinaci doctrinæ alicuius adversario, ut odium pristinum remittat, non sufficit, doctrinam sibi inimicam atq; exosam audijsse, sed insuper,

per, ut cor à contrario flectatur in contrarium efficaciſsima perſvaſione opus eſt. Doctrinæ verò cœleſti naturalis ratio maximè eſt infenſa, nec aliter per ſemetipſam poteſt, quàm illi repugnare. *Rom. 8. v. 5. ſq. qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui verò ſecundum ſpiritum ſunt, ea, quæ Spiritus. Nam prudentia carnis mors eſt, at prudentia Spiritus vita & pax. Propter quod prudentia carnis inimica eſt Deo, nam legi Dei non ſubjicitur, nec enim poteſt.* Quæ cauſa, ut Thomas cœteriq; diſcipuli, per quæcunq; etiam nuncia induci non poſſent, ut Chriſti reſurrectionem crederent; Carnis ſcilicet ſapientiam & naturæ ductum ſecuti *Mar. 16. verſ. 25.* Opus eſt igitur, ut veram fidem conceptura ſ πᾶν νόημα, omnem intellectum, ſub obſequium Chriſti redigat. *2. Cor. 10. verſ. 5.* exemplo Abrahami, qui contra ſpem in ſpem credidit *Rom. 4. v. 18.* Et quomodo humana ratio per ſeipſam ex auditu verbi fidem conciperet, per quod magis etiam induratur? *Syr. 32. v. 19. qui quærit legem, replebitur ea; ſimulator autem ſcandalizabitur in ea.* Atqui ratio, utpote inimica legi ſeu verbo Dei aliter non poteſt, quàm ſimulare: ſcandalizabitur ergò, non proficiet.

VI. Quia

14. VI. Quia † homo similia pietatis opera sine speciali auxilio Spiritus sancti præstare non potest. Utpote 1. *Verbum Domini prædicare* Ps. 51. v. 17. Domine labia mea aperi, & os meum annũciabit laudem tuam. Matth. 10. v. 20. Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. 2. Cor. 3. v. 5. non, quòd sufficientes simus à nobis ipsis cogitare aliquid, quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti. Quæ Spiritus S. dona Ecclesiarum ministros officio idoneos reddentia Paulus prolixè enumerat. 1. Cor. 12. v. 14. sq. 2. *Orare* Roman. 8. v. 26. quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus interpellat pro nobis. Gal. 4. v. 6. quoniam estis filij, misit Deus Spiritum filij in corda vestra, clamantem Abba pater. Inde vocatur Spiritus precum Zach. 12. v. 10. & veri adoratores invocant patrem in spiritu, & veritate Joh. 4. vers. 23. 3. Jesum *vocare Dominum* 1. Cor. 12. v. 3. notum vobis facio, quòd nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in spiritu Sancto. Quæ opera recensita cum omnium rectè sentientium judicio faciliora sint, mysteriorum cœlestium apprehensione; & nihilominus peculiarem Spiritus S. assistentiam requi-

requirant; certissimè sequitur, hominem, eâ multò etiam magis in Sacræ scripturæ mysterijs percipiendis indigere.

VII. Quia † varia impedimenta, quò minus verbum DEI fructificet, objiciuntur, quæ omnia amoliri, non est humanarum virium. Nam. 1. *DEUS ex justa ira gratiam illuminantem verbi contemtoribus subtrahit, ut sequantur tenebræ.* 2. Thess. 2. v. 10. sq. Eò quòd caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent; ideò mittet illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio. *Ut in locum Sancti Spiritus succedat malus;* quòd Sauli accidit. 1. Sam. 16. v. 14. & Judæis Esa. 29. v. 10. sq. miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros &c. de quibus Dominus Esa. 6. v. 9. Ioh. 12. v. 40. Act. 28. v. 26. Rom. 11. v. 8. audite audientes & nolite intelligere. 2. *Diabolus humani generis hostis omni studio laborat, ut de cordibus verbum auditum tollatur,* ne fructificet Luc. 8. v. 12. *excæcat* mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelij gloriæ Christi. 2 Cor. 4. v. 4. Summa: tanquam Leo rugiens *quærit, quem devoret.* 1. Pet. 5. v. 8. 3. *Homines ipsi vel erroribus præconceptis, vel quibuscunq; persvasionibus, modisq; alijs varijs & infinitis* 15.

finitis semet impedire possunt, quò minus fructum optatum assequantur. Sic enim de Judæis Apostolus: Usq; in hunc diem, cum legitur Moses, velamen super cor eorum positum est 2. Cor. 3. v. 15. nescierunt, neq; intellexerunt, obliti sunt, ne videant oculi eorum, & non intelligant corde suo. Esa. 44. vers. 18. & Syracid. Cap. 32. v. 19. æmulator scandalizabitur in lege. Exemplo sunt Sadducæi, quibus, quotidie licèt in Moyse legentibus, negligentiam pariter, ac ignorantiam exprobrat Dominus, dicens; Erratis, nescientes scripturas, Matth. 22. v. 29. Et Pharisæos, quamvis legis peritos, scrutari jubet legem, de Domino Jesu testantem; quod ipsi in lectione quotidiana, ac multoties repetita non deprehenderant Iohan. 5. v. 39.

16. VIII. Quia † pij, & sancti homines, ut Verbum Domini intelligerent, Spiritus sancti assistentiam fuerunt precati. Hanc enim, si cum Photinianis sensissent, non judicassent necessariam. At, precati sunt, *Ps.* 86. *v.* 11. *Doce me viam tuam Domine*, *Ps.* 119. *v.* 34. *Da mihi intellectum, & custodiam legem tuam Psal.* 143. *v.* 10. *Doce me facere voluntatem tuam, quia tu Deus*

tu DEUS *meus, ſpiritus tuus bonus ducat me in omnem veritatem.*

IX. Quia † multi homines, licèt attenti, per ſe ipſos verbum DEI intelligere non potuerunt: Tales erant: *Populus Iſraëliticus*, de quo Deut. 32. v. 29. Non eſt in eis intelligentia. Utinam ſaperent & intelligerent, & noviſsima providerent! Jerem. 8. v 7. populus meus non cognovit judicium Domini. *Apoſtoli.* Luc. 18. v. 34. Et ipſi nihil horum (quæ DOMINUS JESUS de paſſione ſua dixerat) intellexerunt; & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. *Thomas*, licèt toties per Prophetas, ipſumque Dominum prædictam audijſſet reſurrectionem Jeſu, ſic tamen de illa judicat. Niſi videro in manibus eius veſtigia clavorum, &c. non credam. *Diſcipuli Emaunthatendentes* eodem morbo laborabant, unde ſic reprehenduntur; ô ſtulti, & tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ. *Nicodemus* Johan. 3. v 4. quomodo poteſt, inquit, homo renaſci, cum ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris introire, & renaſci. & v. 10. quomodo poſſunt hæc fieri? adeò non aſſequebatur Magiſter 17.

ille

ille Israëlis dogma de regeneratione. *Eunuchus* Reginæ Candaces Act 8. v. 30. 31. accurrens Philippus audivit eum legentem Esaiam Prophetam, & dixit: intelligis quæ legis? qui ait: *& quomodo possum, nisi quis me deduxerit?*

18. X. Deniq; † quia adversarij necessitatem illuminationi Spiritus S. fatentur. *Catechismus Racovienſis* ita quærit: *At unde tot dissidia in eruendo scripturæ sensu emergunt?* RESP. *Hinc, quod homines scripturam vel negligenter legant: aut cor non afferant sincerum, & ab omnibus impedimentis & cupiditatibus solutum: aut auxilium illud divinum* DONUM *nempè* SPIRITUS S. *quod DEUS promisit dies, noctesq; eum invocantibus, non quo par est studio, implorant.* pag. 17. *Ostorod. Instit. cap. 40. §. 4.* das man aber die Propheten vnnd sonderlich Apocalypsin, ohne den Prophetischen Geist nicht verstehen könne/ könten wir weitleufftig beweisen/ wenn es nötig were. h. e. *Prophetas, imprimis verò Apocalypsin, non posse absq; spiritu Prophetico intelligi prolixè demonstrari posset, si requireret necessitas.* Ex quo argumentor. Quicunq; ad intelligendum Prophetias, opus habet spiritu, seu dono Prophetico, is scripturam absq; ordinariâ illuminatione Spiritus S. multò

multò minus intelliget. Prius ex assertione Ostorodi, est verum, Ergò verum etiam posterius. Quæ omnia Thesin suprà positam, nimirum: *ut verbum DEI lectum & auditum cum fructu percipiatur, speciali Spiritus S. illuminatione, vel maximè opus est*; luculenter confirmant.

Obiter † nota novum Ostorodi errorem: *quod ad intelligendum Prophetias necessarius sit spiritus Propheticus.* Est autem ipsi *spiritus Propheticus* speciale illud donum, quo olim Prophetæ singulariter fuerunt ornati 1. *Cor.* 10. *v.* 32. Erroneam assertionem dico, quia 1. aliud est, afferre Prophetias; aliud, multoq; inferius, easdem audire, & intelligere. Prophetico spiritu indigebat Elias, triennalem siccitatem, & subsecutam annonæ caritatem, prædicturus; auditores ad intelligendum non item. Spiritu Prophetico notata est Domini, ac Salvatoris nostri ex stirpe Davidis origo, designata patria, definitum tempus, &c. Quæ omnia solus vatidicus DEI spiritus prædicere potuit. Absit verò, ut neminem hæc intelligendo assequi statuamus, qui donis Propheticis non sit exornatus. 2. Ad intellectum Prophetiarum opus esse prophetico Spiritu, nusquam legitur. 3. Ideoq; veritas illius asserti probari non potest. 4. Et quia dona Prophetica his temporibus cessarunt, nec quisquam est, 19.

qui affirmare ausit, se isto dono pollere; utique nemo inter homines erit, qui Prophetias interpretari possit; quo nihil absurdius. 5. Ob rationem eandem scripta Apostolica intellecturus, indigeret Apostolicis Spiritus S. donis: quod itidem locum non postremum inter absurda meretur. 6. Diversum ostendunt exempla illorum, qui ad Prophetas, ut ex ijs salutem discerent, sunt remissi, aut vaticinium sunt interpretati. Remittuntur eò fratres Epulonis *Luc.* 16. *v.* 29. *habent Mosen & Prophetas, audiant illos.* Judæi *Joh.* 5. *v.* 39. *scripturæ testimonium perhibent de me;* imò omnes Christiani, *Rom.* 15. *v.* 4. *quæcunq; scripta sunt,* inquit Apostolus, *ad nostram doctrinam sunt scripta.* Interpretati sunt Prophetias Apollo, *Act.* 18. *v.* 29. Christiani Corinthiaci 1. *Cor.* 14. *v.* 37. *sq.* sine dubio etiam Lois, & Eunice avia & mater Timothei 2. *Tim.* 1. *v.* 5. *Cap.* 3. *v.* 15. Quibus omnibus num tribuemus spiritum, seu dona Prophetica? Sed hæc ἐν παρόδῳ.

OBJECTIO.

20. Unicum † quo confutatum errorem defendere conatur *Osiorod.* objicit *Inst. cap.* 1. §. 5. & quidem formâ dilemmatis. Si ex verbo lecto, vel audito, nihil commodi percipiunt homines absq; peculiari Spiritus S. illuminatione; Caussa ejus rei, vel est in verbo ipso,

ipso, vel in hominibus. Non in verbo; illud enim 1. est Dei verbum. 2. perspicuum. Neq; in hominibus; nam rursus illi adeò sunt stupidi vel ex creatione, ut cœlestia, licèt extrinsecus proposita assequi, & intelligere, nequeant; vel ex naturæ corruptione. Non prius, fatentibus adversarijs: Nec posterius, ut alibi probabitur. Ergò caussa nulla prorsus dari poterit.

Resp.† 1. Ex modò dictis responsio facilime desumitur. Et quidem in verbo DEI causam non aliter statuimus, quàm 1. quatenus à Deo accipit virtutē suam homines movendi & persuadendi, quæ nō præcisè in sono, aut literis hæret. 2. quatenus ad rationem naturalem mysteriorum cœlestium nō capacem comparatur; h. e. stupidior est hominis ratio, quàm ut res tam eximias percipiat. Isq; stupor non ex creatione provenit, sed lapsu Adamico & exinde ad omnes posteros hæreditariò transeunte corruptione. De qua re suo loco, DEO dante, fusius. 21.

Error VI.

Dogmata fidei ex solo scripturæ sensu literali, non autem mystico, figurato, aut Parabolico sunt stabilienda.

1. Iudicium † de fidei dogmatibus ad salutem æternam necessarijs cautè ex scripturis, nec absq; attenta scrutatione hauriendũ esse, cùm nemo pius inficias ire possit: utiq; media hîc nulla negligimus, per quæ verum sensum liceat percipere.

2. Inter † quæ literalem scripturæ sensum cumprimis attendendum, putamus; sic tamen ut figuratum, mysticum, & parabolicũ non statuamus excludendum. Commendant Photiniani literalem, sed cum exclusione mystici & figurati. Sic namq; *Enjedinus* ad Matth. 22. v. 41. pag. 110. *In eo autem* (inquit) *omnes omnium ætatum docti consenserunt, dogmata fidei stabilienda esse ex sensu literali, non mystico, qui varius esse pro ingeniorum diversitate, potest.* Smalc. Cont. D. Frantz. Disp. 2. pag. 47. *Ex locutionibus figuratis dogma religionis extruere velle, quid est aliud, quàm hoc ipso prodere, dogma illud falsum esse?* Disp. 3. pag. 75. *Id, quod Luc. 16. legitur parabola est, ideoq; nihil ex ea certi, de articulo fidei statui potest, nisi id aliunde manifestè pateat.*

EXAMEN.

3. Extra † controversiã esto positum, quòd sensus in scripturis duplex sit admittendus, *literalis* & *mysticus*: Sic tamẽ ut contra Pontificios sensum *literalem* dicamus, *qui ex verbis,*

bis, non tàm Grammaticè, quàm pro conditione cujusvis loci, sonantibus immediatè elicitur. Quodq; ex literali sensu quàm rectissimè extruantur dogmata.

Duplici † tamen nomine opinio Photiniana reprehensionem incurrit: 1. ob falsam sensus mystici definitionem. 2. Ob verè dicti mystici, nec non parabolici, & cujusvis figurati sensus â confirmatione dogmatum exclusionem. Duo igitur examinis membra: quorum unum, *quis sit sensus mysticus?* Alterum *an, & quomodo is dogmata etiam stabiliat?* consideret. 4.

Prius. † Quis verus sensus mysticus, cognoscitur partim ex efficiente, partim ex forma: Quoad *efficientem*, dixerat Enjedinus sensum mysticum, *qui pro ingeniorum varietate est varius*: ex quo colligitur, putare ipsum, hunc dici mysticum sensum, quem quisq; præter literalē sibi concipit, & textui qualitercunq; accommodat; sed malè. Nam in universum nego, ullū scripturæ sensum, quocunq; nomine veniat, ex hominum beneplacito, atq; arbitrio provenire. 1. *Quia is unicus est scripturæ sensus, quem Spiritus S. per Prophetas & Apostolos*, ceu amanuenses verbum suum in literas referens, *intendit*: nam ut quævis verba non aliter, quàm ex mente loquentis sunt interpretanda: Sic sanè Spi- 5.

ritus S. verba sensum alium præter eum, quem ipse voluit esse, non capiunt. Ergò, quem fingit homo, scripturæ sensus non est. 2. *Quia is demum est verus sensus, qui ex scriptura petitur, non qui illi infertur:* juxta veterem Theologorum regulam. Sed, qui pro ingeniorum diversitate variant, inferuntur: Siquidem ex scripturis petitus utut etiam varia sint percipientium ingenia, nihil quicquam mutatur, sed semper manet unus, idemq;. Ergò sensus ab ingenijs hominum confícti veri sacrarum literarum sensus non sunt. 3. *Quia nulla scripturæ expositio fit ex interpretatione propria,* 2. *Pet.* 1. *v.* 20. *ar*, ubi sensus pro varijs ingenijs est varius, depromiturís ex interpretatione propria. Ergò idem nõ est legitima scripturę interpretatio. Concludo. Ergò sensus non est mysticus, quem vel quisq; sibi pro arbitrio fingit, vel non ex scripturis per fundamenta certa elicit.

6. Quo ad † *formam.* 1. sensus *literalis* est, non quem verba Grammaticè sumta præ se ferunt: sed *quem verba qualiter illa in textu scripturæ usurpantur, immediatè reddunt*, sive quid habeant figurati ac mystici, sive nõ habeant. 2. Quicquid præter literalem sensum in sacris deprehenditur, id vel est diversorũ ex uno sensu collectio, vel unius sensus ad plura accommodatio: (qualis allegoria, tropologia

pologia &c. Quò refer Pauli pronunciatum 2. Tim. 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia*) vel sensus mysticus.

Videtur † autem Enjedinus quemcunq; sensum figuratum, in quo aliud ipsa verba prima fronte promittunt, quàm textus per illa expressum voluisse postea deprehenditur, dicere mysticum. Sed malè. Equidem fatemur, omnem mysticum esse figuratum, cujus duplex genus statuo: vel enim habent figuram med. ante literali sensu, vel ἀμέσως, ut sensus literalis, cum mystico coincidat. Exempla *prioris* passim occurrunt in typis, & Sacrificijs Veteris Test. ubi quæ de hircis, capris, bobus, &c. literaliter dicuntur, Spiritualiter & mysticè de Christo (cumprimis, quâ virtutem expiatricem, & sanctificatricē describunt) accipiuntur. Sic, quādo de agno paschali præceptum erat, *os non confringetis in eo Exod.* 12. v. 46. id de agno Judaico immediatè dictum, in Christo mysticè completum Johannes commemorat *cap.* 19. *v.* 36. 7.

Posterioris † vaticinia de Messia edita copiosè reddunt, quæ sensum alium literalem non habent, nisi qui & mysticus Esa. 11. v. 1. egredietur virga de stirpe Isai, & surculus de radicibus ejus crescet, v. 6. habitavit lupus cum agno, pardus cum hædo accubabit, 8.

viculus & catulus leonis, & pingue pecus simul erit, & parvus puer ducet eos. Qualia plura hinc inde habes in Psalmis, cantico cantic. & alijs carminibus, ac prophetis passim. Huc refer protevangelium *Gen. 3. v. 15. Semen mulieris conteret caput serpentis*, Præceptum Domini *Matth. 5. v. 29. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Et quod *Psal. 91. v. 13.* dicitur, *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. &c.*

9. Dicimus † verò, ut omnis mysticus sensus figuratus est, sic non vicissim omnem figuratum esse mysticum, sed tantùm illum, qui nascitur ex translatione ejus, quod de re terrena, vel externa dictum est, diciqúe potest, ad negotium spirituale. Sic à vestium in luctu scissarum consuetudine, & carnis circumcisione factâ translatione ad pravorum affectuum è corde remotionem, præcipit Dominus *Joel 2. v. 13. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra:* hinc cordis circumcisio, h. e. naturalis impuritatis abjectio cõmendatur *Rom. 2. v. 29. Col. 2. v. 11.* Ab usu cibi, quo corpus alitur, ad usurpationem medij animam sustentantis transfertur vox manducatio *Joh. 6. v. 21. Si quis manducaverit ex hoc pane* (mystico, qui est Christus) *vivet in æternum* v. 53. *Amen amen dico vobis*

vobis, nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Posterius. † Cùm igitur quæstio est, annè ex figurato, & mystico scripturæ sensu dogmatum stabilimenta petantur? Resp. 1. Si mysticum dixeris, quem quisq; sibi pro arbitrio fingit, nihil prorsus, quicquid etiam sit, multò minus fundamentale fidei dogma ex eo probari, vel asserimus, vel asseri posse concedimus. 2. Nullum sensum figuratum, adeoque nec mysticum, quâ talis est, quicquam firmiter probare: hoc tamen præstare, quatenus omnis figura sensum aliquem simplicem, atq; planum includit. 3. Si verò sensus figuratus non per nudam ad scopum alienum accommodationem, vel qualemcunq; allusionem è scripturis exprimatur, sed per certa documenta in illis extare probetur: utiq; dogmata quoq; ex illo confirmantur. 10.

Taliter † autem fundatus deprehenditur. 1. *Quando idem, qui literalis, est simul etiam mysticus.* Ut enim literalis, h. e. qui immediate fluit ex verbis, qualiter in loco scripturæ usurpata leguntur, semper aliquid infallibiliter certi, sive doctrinam, sive mores spectans, continet: Sic, ubi mysticus ipse quoq; ita immediatus est, uti literalis, sem- 11.

per certi aliquid docebit, sive dogmata, sive vitam concernens. Quidni enim ex *Gen.* 3 *v.* 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis* probetur; Christum ademisse potestatem diabolo? Gentium simul & Judæorum ad regnum Messiæ vocationem obtineamus ex *Esa.* 11. *vers.* 6. *habitabit lupus cum agno. &c.*

12. 2. *Quando† dogma de antitypo fundatur in typo:* quemadmodum Epistola ad Hebræos sangvine Christi nos mundari probat ex typo sangvinis hircorum ac vitulorum *cap.* 7. *v.* 12. & modo expiationis typicæ in Veteri Testamento usitatæ *v.* 22. *penè in sangvine omnia mundantur secundum legem & sine sangvinis effusione non fit remissio.* Tunc enim nos rectè argumentamur: quemadmodum peccata populi imputabantur hirco emissario, qui horum quoq; pœnam in deserto feris relictus morte sua suscipiebat *Lev.* 16. *v.* 21. *& seqq.* Sic Christo quoq; imputata sunt peccata nostra, ut pœnam illorum, nostri loco sustineret ipse. Quemadmodum serpens æneus in deserto suspensus vel solo sui aspectu sanabat vulneratos. *Num.* 21. *vers.* 9. Sic filius Dei serpente isto adumbratus, non opere aliquo nostro sed fidei sui, tanquam mystici serpentis, intuitu à morsu

morsu satanico restituit credentes & cæt. Interim videndum, ut typus intra suos limites se contineat, ne dogmata ex re aliqua desumantur, quæ hactenus typi rationem non habeat. Limes autem certior figi non posse videtur, quàm historia antitypi, definiens, quousq; ipsi typus applicari debeat, aut non debeat.

3. *Quando † ipsa scriptura Sacra ex mystico sensu dogmata stabilit.* Quod factum cernimus *Matth.* 12. *vers.* 40. ubi Dominus à Jonæ ex ventre ceti liberatione suam tertio post passionem die ex sepulcro resurrectionem monstrat. Hisce modis licitum atque concessum esse, fidei dogmata ex sensu mystico elicere, negari nequit. Etsi verò sat hactenus probationum dederim: has tamen pro majore confirmatione subjiciam. 13.

I. Quia † scriptura sub verbis mysticis eo fine ad nos loquitur, ut in dogmatibus fidei, ac morum nos erudiat. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. *Roman.* 15. *vers.* 4. At: quæ sub sensu mystico nobis 14.

propo-

proponuntur, utiq; etiam scripta sunt, Ergò ad nostram doctrinam. Quicquid autem proponitur doctrinæ causâ, hoc eandem, uti docet, sic confirmat, ac stabilit. Sed, quem mysticum sensum scriptura continet, is doctrinæ causâ proponitur. Ergò eandem doceat, confirmet, ac stabiliat, necesse est. Deinde: Sensus mysticus ratione nostri vel nullius est usus & commodi, vel alicuius. Non potes cum pietate asserere, prius: Ergò fatere posterius. Si verò commodum aliquod ex illo ad nos resultat, erit illud vel institutio moralis, vel informatio de fide.

15. II. Quia † sub omni sensu mystico literalis aliquis figurâ carens, latitat. Cum nihil dici possit figuratum, quod in sermonem simplicem non sit resolubile; imò omnis locutio figurata in sententia simplici fundetur: Certum est, quandocunque datur locutio figurata & mystica, dari simul etiam ipsi æquipollentem literalem. Omnis verò locutio simplex veritatem quoq; habens simplicem de dogmatibus fidei quàm optimè nos erudire potest. Hinc argumentor: Omnis scripturæ locutio habens sensum simplicem dogmata confirmare potest. Sed omnis scripturæ locutio mystica habet

habet sensum simplicem ac literalem. Ergò omnis locutio mystica dogmata confirmare potest.

Error VII.

Quæcunq; ad æternam salutem sunt necessaria, κατὰ ῥητὸν in Scripturis extant, nec per consequentias ex ijsdem elici debent.

In † una Dei essentia tres esse distinctas personas, Patrem, filium, & Spiritum Sanctum probaturi, collectionem instituimus talem: *DEUS* (verus ille, summus, æternus, ac propriè dictus) *unus est. Is autem unicus DEUS est, ac dicitur pater: idem ille, filius; idem ille; Spiritus sanctus:* (quorum nullus cum cæteris confundi, nec essentia divina multiplicari, vel dividi potest, aut debet.) *Certâ igitur consequentiâ infertur; in uno Deo plures, easq; tres personas agnoscendas,* venerandas, & adorandas esse. 1.

Hanc † collectionem, eiusq; materiam, non saltem directim petunt adversarij; quod tractatur alibi, sed etiam obliquè formam 2.

illius

illius adoriuntur, generaliter omnium consequentiarum usum in fundamentalibus, ac præcipuis fidei Christianæ articulis, atq; capitibus adhiberi non posse, omnia potius ad salutem necessaria in scripturarum ῥητῷ inveniri, contendentes, te hoc medio modò commemoratam consequentiam irritam, & frustraneam sese facturos sperant.

3. *Smalcius* † refut. disputat. Graveri de spiritu Sancto pag. 4. *quomodo ad salutem necessariũ esse, id dici potest, quod tantùm per consequentias ex sacris literis demonstratur? Cum certum sit eum in finem potissimùm conscriptas esse sacras literas, ut quid necessarium sit ad salutem, omnibus & singulis expressè constaret: & nihil prorsus dari posse, quod ad salutem necessarium sit, quod in sacris literis non contineatur ῥητῶς, & ad literam, vel hinc constat &c.* Idem Cont. D. Frantz. disp. 1. pag. 24. *quæ necessaria omninò sunt ad salutem, ista omnia in sacris literis, ut expressè scripta extent, necesse est.* Ibid. pag. 65. *Omnia, sine quibus salus æterna consistere nequit, expressè in sacris literis scripta esse debere, nemo sanæ mentis negaverit.* Idem cont. Schop. de Trin. pag. 3. *Quicquid ad salutem necessarium est simpliciter,*

ter, id totum in literis sacris ad literam scriptum esse, necesse est.

Ostorod: institut. cap. 4. pag. 28. Vnd ob wol die Theologi sich bemühen mit mancherley collectionibus vnnd consequentijs, das ist / folg vnnd Schlußreden solchs zubeweisen / so ist doch (vornemlich so viel vnser propositum betrifft) alle jhre mühe vnd arbeit vergebens vnnd vmb sonst: Denn solch eine grosse Sach / die sie für den HäuptArtickel jhres Glaubens / vnd für das rechte heilsame Erkentniß Gottes halten / ohne welche Erkentnis man nicht könne seelig werden / muß nicht auff consequentijs vnd Schlußreden / sondern auff dem hellen / klaren vnd ausgedruckten Wort Gottes gegründet sein. h. e. quamvis laborent Theologi, varijs collectionibus & consequentijs, id ipsum (mysterium Trinitatis) probatum dare; nihilominus (quantum ad nostrum propositum) omnis labor irritus est, ac frustraneus. Rem siquidem tantam, quam ipsi articulum fidei suæ cardinalem, veramque & salutiferam DEI agnitionem censent; sine qua nemini salus contingat; non in consequentijs, aut Syllogismis, sed in claro, perspi-

perspicuo, & expresso Dei verbo fundari oportet.

EXAMEN.

4. Econtrà: † statuimus nos; usum consequentiarum etiam in fundamento religionis asserendo medium esse certum, firmum per sœpè etiam necessarium, ideoq; homine Christiano nequaquam indignum. Quod thema ἔλεγχον erroris Photiniani continens fixis constat fundamentis, ijsque sequentibus.

5. I. Quia † consequentia vera, & legitima est modus in omni scibili, & quacunque materia verum investigandi certissimus ac probatissimus. *Universaliter verum est; ex vero nil nisi verum sequitur*: &; quicquid per solidam ac validam consequentiam innotescit, hoc non potest non esse verum. Quod de omni prorsus scibili generatim dictum, cùm ad Theologiam non minus, ac quamcunque disciplinam aliam necessariò accommodetur; utiq; omne illud, quod ex scriptura sacra (firmissimo cœlestis veritatis fundamento) per consequentiam legitimam elicitur, cœlestem veritatem esse oportet. Quare; ex divino

divino verbo inferentes: Cùm unus sit verus DEUS; is autem unicus sit Pater; idem ille sit Filius; idem ille sit & Spiritus sanctus; certò sequi, in Deo uno plures agnoscendos; plures scilicet non DEOS, quod foret contradictorium: Ergò plures, easq; numero tres, personas.

II. Quia † hunc modũ cœlestia cognoscendi DEus in verbo suo nunquã, & nusquam legitur improbasse. Assertio Theologica in scripturis non fundata meritò judicatur temeraria: dicã ergò vel eo nomine Photinianæ assertioni scribemus, quòd ab autoribus suis citra omnem scripturam, aut interdictum divinum fuerit effutita. Nusquam Deus omnia saluti necessaria ῥητῶς expressa fuisse, affirmat; nusquam consequentiarum usum repudiat: dum igitur utrumq; vel alterutrum saltem ex scripturis non demonstrarint adversarij, in nullo numero temerariam assertionem habebimus. 6.

III. Quia † scriptura sacra etiam in præcipuis Christianæ fidei capitibus consequentias nectere jubet. DEUS accuratam verbi sui meditationem præcipit *Psal.* 1. *v.* 2. *Beatus qui meditatur in lege Domini die, ac nocte*, lectionem attentam 7.

tâm 1. *Tim* 4. *v.* 13. *attende lectioni.* Quæ, ut & ejus generis alia, non minus consequentiam, ac quamvis aliam Scripturarum meditationem (quæ, præter simplicem verborum intellectum, vix potest aliud quid esse, quâm consequentia) commendant. Cumprimis verò illustris, & huic instituto evincendo accommodatissimus est locus *Joh. 5. v. 39. scrutamini scripturas.* Quæstio enim, & controversia Jesu Nazareno cum Pharisæis intercedebat: ipsenè esset promissus Messias? Capitale & fundamentale ζήτημα. Decisionem ex scripturis petendam, monet Dominus, inquiens: *Scrutamini scripturas; quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; & illa sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et v. 46. *Si crederetis Mosi, crederetis utique & mihi, de me enim ille scripsit.* Idem certamen (certè fundamentale 1. *Cor. 3. v. 11. Eph. 2. v. 20.*) cùm hodieq; Judæis, & Christianis intercedat; idemq; veritatē inquirendi, demonstrandiq; medium, quod tunc Pharisæis monstrabat Salvator ipse (unicum scilicet vetus testamentum) sub manibus nobis versetur; Photianianos appello, ut in universa scripturâ Propheticâ hoc fidei fundamentum ad salutem utique necessarium πρωτῶς scriptum monstrent: *Jesus Nazarenus est promissus Messias.* Quod, cùm præstitu impossi-

possibile, nemo dubitare possit: vera nihilòminus maneat Christi sententia: *de me scripsit Moses:* infallibiliter sequitur; & Pharisæos ad consequentiam remissos; neq; nos ad convincendum Judæos ullo alio, quàm hoc processu uti posse. In quemcunq; omnes & singulæ notæ, quibus scriptura Prophetica Messiam describit, conveniunt; is est verus Messias; Atqui; in Jesum Nazarenũ omnes, ac singulæ veri Messiæ notæ conveniunt. Ergò Jesus Nazarenus est verus Messias.

IV. Quia † Christus & Apostoli in demonstrandis fundamentalibus Religionis capitibꝰ consequentias usurparunt. *Dominum Jesum* in contentione de ipsius persona, & officio ad scripturam provocantẽ, vidimus; quæ provocatio, qualiter tacitam syllogismi ê Scripturis deducendi recitationem includat, adeoq; personæ, & officij Christi divinitatem per consequentias discere, ac probare jubeat; modò ostensum. Controversiam de *mortuorum resurrectione* per manifestam consequentiam decidit, *Marc.* 12. *v.* 26. *De mortuis, quòd excitantur, non legistis in libro Mosis super rubum, quomodo dixerit illi DEUS, inquiens: Ego DEUS Abraham, & DEUS Isaac, & DEUS Jacob. Non est Deus mortuorum, sed viventiũ.* 8.

Vos ergò multum erratis. Consequentiam vides adhibitam, absq; allegatione ῥητῆ. Fundamentale Religionis caput est *Messiæ resurrectio*, circa quod periculosè errabant discipuli Christi *Marc.16.v.13. Luc.24.v. 21. Joh.20.v.25.* Salvator errorem (quem τὸ ῥητὸν nuncij angelorum, & hominum non exemerat) discussurus, ad scripta Mosis, & Prophetarum illos reducit *Luc.24.v. 25.26. O stulti, & tardi corde ad credendum omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonnè hæc oportuit Christum pati, & intrare in gloriam suam?* vers.44. sq. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosi. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas: & dixit eis, quoniam* Sic Scripsum *est, & sic oportebat Christum pati. &c.* Nullum verò horum κατὰ ῥητὸν invenient in scripturis Photiniani; sed omnia per consequentiam.

9. *Apostoli*; † inq; his *Petrus Act.10. v.43.* affirmare non dubitat: *Jesu Nazareno omnes Prophetas testimonium perhibere; remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt.* Ostendant Adversarij hujus testimonij ῥητὸν in unico Propheta. *Paulus* nihil dicebat extra ea, quæ Prophetæ locuti sunt, futura esse. *Act.26. v.22.* Confer cum scriptis

ptis Propheticis omnes Pauli conciones, & Epistolas; ac consequentias magno numero invenies. Idem Apostolus capitalem agitabat cum Pseudo-Apostolis controversiam: *an non-circumcisi possint salvari? Act.* 15. *v.* 1. Concilij definitionē in scriptis Propheticis non absq; consequentię adminiculo fundabant Apostoli. *v.* 15. *& huic concordant verba Prophetarum.* His annumeretur *Apollo*, vehementer convincens Judæos, publicè ostendens Per Scripturas, esse Christum Jesum *Act.* 18. *v.* 28. Ubi hic ῥητὸν, quod usurpare potuit Apollo? Adde *Berhoënses*, qui scripturas scrutabantur, si hæc (quæ prædicabat Paulus) ita se haberent? *Act.* 17. *v.* 11. Rursus consequentiæ exemplum habes absq; ῥητῷ.

V. Quia † Photiniani id, quod ex verbo Dei per consequentias elicitur, pro verbo Dei habendum testantur, ipsiq; consequentijs in capite principali utuntur. De quo sufficienter constat, quòd sit verbum divinum; id suspectæ veritatis esse non potest, quin ad probanda fidei dogmata adhibeatur. Sed, quicquid ex verbo Dei per consequentiam legitimam educitur, est certum Dei verbum. Ergò illud minimè suspectæ fidei esse potest, quò minus in probandis fundamentis fidei 10.

adhibeatur. Minorem cuivis pio certam, non probo, saltem adversariorum confessionem, aut παλινῳδίαν verius annotare volo. Sic *Smalcius* cont. D. Frantz. Disp. 7. pag. 241. *Jure dicere potuit D. Jesus, dictum id fuisse* (odio habebis inimicum) *quia sensus horum verborum in lege inerat. Quæ enim ex libro aliquo necessariò deduci possunt, ea in illis scripta esse, dici jure possunt.* Idem *de Spirit. S. cont. Grav. pag.* 4. de consequentijs verba faciens ait: *Si pro verbo DEI admittantur, quæ ex illo legitimè deduci possunt,* Quod Nos Plane Confitemur &c. Idem *cont. Smiglec. de verbi Incarnat. natura cap.* 8. *pag.* 42. in margine, *Scriptura id dicit, quod ex ea colligitur necessariò.* Et *Respons. ad nov. monst. pag.* 176. *Etiam ea vera, imò in scripturis, & pro ipsa scriptura habenda esse, quæ ex illis necessariò colliguntur, nemo nescit.* Testantur idem, dum utuntur consequentijs. Ubi, ut omittam plura, *Ostorod.* Inst. cap. 10. pag. 65. Wir sagen/ das es nicht folge/ ob schon in H. Schrifft die Wort/ das Gott Christum zum Gotte gemacht hab/ nach dem Buchstaben nicht gelesen werden/ das er jhn darumb zum Gotte nicht gemacht hab: denn solt diese ratio gut sein/ so hetten die Adversarij gar kein beweiß aus H. Schrifft (wie sie doch vermeinen zuhaben) für jhre dreyfaltigkeit der Göttlichen Personen/ zweyer Naturen in Chri-

Christo/vnd dergleichen mehr. *Dicimus: non sequi, quamvis in scriptura secundum literam nũ legatur, quòd DEUS Christum fecerit DEUM, quòd ideò non fecerit Deum. Si enim hæc ratio procederet, nullã omninò probationem haberent Adversarij (quam se habere putant) pro divinarum Personarum Trinitate, duabus in Christo naturis & quæ similia, pluribus* Smal. cont. Smiglec. de verb. Incar. nat. pag. 42. *Illud verò puerile est. In tota Scriptura inauditum est, Christum bis ascendisse in cœlum. Nam etiamsi vox* Bis *non legatur, legitur tamen id, unde id necessariò evincitur. Filium hominis enim ascendisse eò, ubi priùs erat, quid est aliud, quàm eum bis ascendisse?*

Obiicitur. 1. † *Smalcius de Spirit. S. cont. Grav. pag.* 4. Consequentiarũ usum gemina ratione impugnat: quarum priorem à fine scriptionis desumit. *Certum est*, inquit, *eum in finem potissimum, conscriptas esse sacras literas, ut quid necessarium sit ad salutem, omnibus & singulis expressè constaret.* 11.

Resp. † Ambiguitas est in phrasi: *expressè constare.* Vel enim idem designat, quod *totidem literis ac syllabis* expressum esse: Et tunc citra omne dubium falsa est propositio. Nam quæ exempla superius posui, manifestissimè evincunt, etiam prima fidei fundamenta non expressis literis ac syllabis legi. Vel ita expressè poni, quæ ad salutem 12.

sunt necessaria, *ut quisq; pius accedēte Spiritu sancti gratiâ, ea facile assequi, & intelligere valeat*. Quo in sensu propositionem non improbo; ad inclusam consequentiam (quòd ideò omnia directim, & κατὰ λέξιν in scripturis contineantur) nego: siquidem sacræ literæ satis quidem perspicuæ, nihilòminus attentionem 1. *Tim.* 4. *v.* 13. diligentem scrutationem *Joh.* 5. *v.* 39. *Act.* 17. *v.* 11. diurnam nocturnamq; meditationem *Psal.* 1. *v.* 2. atq; collationem &c. postulant: quibus quid opus, si ῥητὸν scripturarum sufficit?

13. II. A captu † hominum petitur. *Omnes vulgares & simplices tenentur ea intelligere, & credere, quæ ad salutem sunt necessaria. Consequentias autem capere, non cuivis datum esse, sana docet ratio, & experientia.* Ibidem.

14. RESP. † distinguendū est inter consequentias faciliores, seu ex scripturæ verbis ἀμέσως desumtas & quodammodo difficiliores. Prius genus cuivis Christiano per gratiā Spiritus S. obvium est, & intellectu facile: quis enim hominem (nisi mentis planè inopem) negaret vi naturalis logicæ cōsequentias capere, quas in cōmuni vita cernimus omniū communissimas: quantò minus de homine Christiano, & Spiritus S. templo, stupenda illa stupiditas præsumi, aut cogitari potest? Posterius genus si non omnes assequuntur,

tur, causa est, tùm, quia non omnes scrutantur, meditantur & lectioni attendunt: quæ si quisq; Christianorum faceret, quasvis etiam difficiliores consequentias de rebus ad salutem necessarijs agentes assequeretur. Licet ergò non diffiteamur, divisiones gratiarum esse, quas Spiritus sanctus unicuiq; distribuit secundum suum beneplacitum, 1. *Cor.* 12. *v.* 4. *sq.* quibus qui destituuntur, in multis scripturæ locis ne quidem verborum ῥητὸν assequuntur, multò minus consequentias: dubium tamen non est, ea, quæ ad salutem necessariò sciuntur, vel ῥητῶ perspicuo proponi, vel per faciles consequentias exponi.

Error IX.

Licitum nō est homini Christiano abs illo in doctrina dissentientes, quantumvis falsas opiniones foventes damnare hæreseωs.

Duas † ministerij Ecclesiastici partes facit Apostolus *Tit.* 1, *v.* 9. postulans, ut Ecclesiæ præco sit potens exhortari in doctrinâ sana, & contradicentes arguere. 1.

Utrumq; † fit per scripturam, utrumque 2.

Spiritus sancti opus; neutrum itaq; ulla ratione, vel modo impediendum; Utrumq; licet Photiniani, quo ad externam speciem, non parum urgere videantur, utrumq; tamen plurimum impediunt; *doctrinæ propagationem*, modum interpretationis sophisticum usurpando; *contradicentium* ἔλεγχον, illorum expressam redargutionem negando. Nec enim confutantur hæreses, quando solùm opposita veritas monstratur, verùm etiam, cum doctrina pernicioſa, & hæretica, & qui eam profitetur ac urget, hæreticus proclamatur. Hanc verò ita prohibent adversarij, ut ἑτεροδοξίας, & quorum doctrina per scripturã falsitatis, imò hæreseωs deprehenditur rea, nihilomino hæreticos salutandos negent. *Smalcius* cont. D. Frantz. Disp. 1. pag. 9. *Quo verò jure nos pro hæreticis proclamare potest Frantzius? Pro hæreticis se proclamari à Pontificijs, indignè ferunt Lutherani: & ipsimet alios hæresis fulmine percutiũt.* Disp. 8. pag. 281. *miseri homines, qui vix aliquam sibi Ecclesiolam collegêre, & pacem sub Principum tutela nacti censuram sibi de omnibus* NON MINUS IMPIÈ, *quàm imperitè usurpant.* Ostorod. Præfat. Institut. pag. 8. Nun hierin sind wir allen andern vngleich/ das wir niemand wegen seiner Meinung verwerffen/ noch

nöch verdammen / sondern hertzlich gern einen jeglichen für einen Bruder begeren zuhalten/ob er schon in vielen Puncten mit vns nicht vberein keme / wenn er nur Christum für seinen HErrn/vnd Heiland erkennet/vnd derhalben seinen Geboten gehorsam ist/ vnd jhn mit Göttlicher reverentz ehret/ vnd anbetet. *in hoc unico ab alijs discedimus, quòd neminem propter opiniones suas rejicimꝰ, & damnamus, sed ex animo unumquemq; pro fratre habere desideramus, quamvis in multis ipsi nobiscum non conveniat; modò Christum Dominum, & Salvatorem suum agnoscat ac propterea mandatis eius obediat, illumq; honore divino veneretur, atq; adoret.*

Sentiunt † igitur adversarij nostri, non esse licitum, hæreticos pronunciare eos, qui doctrinam à sacris literis alienam Ecclesiæ obtrudere deprehenduntur. 3.

EXAMEN.

Quem † errorem Photinianis cum grege Calviniano, eo non minus laborante, ut lupo in ovile Domini impunè grassari concedatur, communem, jamdudum ab Ecclesiarum nostrarum doctoribus è verbo Domini confossum atq; eversum præterire, laboriq; 4.

huic

huic (ni quis, aut Photinianos ab eo alienos judicaret, aut quidpiam examine dignum minus rectè prætermissum causaretur) tutò supersedere potuissem: Ne ergò ulla ex parte ullius pij voto desim, nonnulla hac etiam de re subjungam.

5. In † affirmantem itaq; concedens à veritate cœlesti alienum & errores periculosos per Ecclesiam spargentem hæreseωs publicè (nec implicitè saltem per refutationem doctrinæ, sed quoq; expressam hæretici designationem) damnandum esse statuo: his tamen cum limitibus.

6. Ut † attendatur 1. *error*. Etenim doctrina Ecclesiæ vel ipsum fundamentum (quod est Christus 1. *Cor.* 3. v. 11.) concernit, & est de fide: vel illud non tangit, estq; circa fidem: Unde error alius, fundamentum fidei labefactat, alius isti salvo superstruitur 1. *Cor.* 3. v. 12. *& seqq.* Huius generis error, vel ita levis est stipula, ut fraternâ dilectione possit contegi; vel gravior, & cum pertinaciâ conjunctus, qui schisma causatur non hæresin. At: qui est prioris generis, fundamentum concutit & labefactat, vel directim in sanam doctrinam, de persona & officio Christi impingens; vel per obliquum eos petens articulos, quibus convulsis, cæteri fundamentales & ipsi corruunt. Ad

quam

quam classem pertinebant Pseudo-Apostoli in Ecclesijs Galatarum, justificationem ex lege simul, & Evangelio petendam docentes. Loquimur verò hoc in nostro quæsito de solo, & omni errore fundamentum fidei, sive directim, sive obliquè: mediatè vel immediatè labefactante.

2. *Persona † errore infecta;* quæ vel errat ex simplicitate, & ignorantiâ, quodque rectiùs edocta non fuit: vel spretis admonitionibus pertinaciter in errore perseverat. Illi condolendum, & pijs admonitionibus subveniendum; hæc severè admonenda in errore perdurans, vitanda, atq; hæreseos rea publicè agenda. 7.

3. *Fundamentum † condemnationis;* quod non debet esse vetus, & præconcepta quædam opinio; foret enim judicium μετὰ προκρίσεως; neq; traditio, vel autoritas humana; neq; rationis ductus (quem, etsi infallibilem judicent Photiniani, exinde tamen se judicari non fert *Smalcius*, scribens *cont. D. Frantz. Disput. post. 1. pag. 353. non sententias virorum alioquin doctorum, & piorum sequendas esse, si reformatio instituatur religionis. sed ab ipsa Evangelij fundamenta omnia reformari, longè esse, & fore tutissimum*) sed verbum Dei, hoc enim est veritas. *Johan. 17. vers. 17.* 8.

4. *Causa*

4. *Causæ* † *condemnationis impellens*; quæ sit animus in personam errantis, quò ab errore reducatur,& convertatur,benevolus:in falsam, & erroneam doctrinam quò longius serpere prohibeatur, hostilis; In Christianum infirmum,ne vel offendatur,vel seducatur, fraternus.

10. 5. *Ejusdem* † *finis & intentio:* quæ non debet esse,vel reprehendentis gloria, vel confusio errantis; sed Dei solius honor, infirmorum,atq; errantium æterna salus.

11. Atq; † hos intra limites omninò censemus Ecclesijs liberum,ut hæreticos,h.e. falsa dogmata spargentes damnent, ac hæreseωs publicè coram orbe Christiano reos peragant. Quam thesin divinæ veritati, ac voluntati conformem probo.

12. I. Quia † pseudodoctores taliter arguere, est non postremum Spiritus sancti officium. Spiritus S. non solùm Ecclesiam docet, sed etiam de peccato mundum arguit, & in specie quidem de peccato incredulitatis *Joh.16. v. 8.9. Spiritus arguet mundum de peccato, quia non credunt in me.* Idq; non saltem impios in corde impietatis suæ convincendo,sed insuper hæreticos nominibus suis notatos Ecclesiæ fugiendos exponendo. Illustre habes exemplum *Apoc. 2.v.6.*

2.v.6. *sed & hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* v. 15. *ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* v. 20. *permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Prophetissima, docere, & seducere servos meos.*

II. Quia † idem postulat fidelium verbi ministrorum officium. Pius verbi minister, quando doctrinam sinceram proposuit, non jam officio suo plenè est defunctus, sed insuper vitiorum, quorumcunque etiam, seriâ reprehensione opus habet: idq; non agendum trepidè, aut meticulosè, sed cum singulari παῤῥησία. *Esa.* 58. *vers.* 1. *clama, ne cesses, exalta ut tubam, vocem tuam, & annuncia populo meo prævaricationem eorum.* Quò spectat prolixa docentium instructio *Ezech.* 12. *vers.* 17. *sqq. cap.* 33. *v.* 1. *sq.* neq; saltem taxanda *vitia*, sed & *vitiosi*, quò, dum à conversatione malorum abstrahantur boni, tantò rectiùs caveantur vitia. 1. *Cor.* 5. *vers.* 11. Qui enim picem tangit, inquinabitur eâ *Syr.* 13. *vers.* 1. inde species censetur beatitudinis, non ambulare in consilio impiorum. *Psal.* 1. *vers.* 1. Porrò: si quivis vitiosus notandus est, ut caveant reliqui, utiq;, & imprimis, hæreticus ob caussam eandem, at multò prægnantiorem. Et certè; si Christianum decet, 13.

monere

monere proximum, ut lue pestiferâ infectos fugiat, quidni multò magis Ecclesiæ pastores decet, de spirituali contagio fideliter prænonere oves? Hinc Paulus à fido Doctore postulat, ut potens sit, & exhortari in doctrina sana, & contradicentes arguere 1. *Tim.* 5. *v.* 20. Contradicentem quomodo argues, nisi simul, ut ceu hæreticus, & lupus caveatur, moneas? Et annon publicè peccat, qui toti Ecclesiæ falsâ doctrinâ insidiatur? Talem ergò insidiatorem coram omnibus argue. Et est hoc boni pastoris, ut lupum etiam cum vitæ periculo adoriatur, impugnet, cunctisq; se viribus illi opponat; quâ in luctâ, num credemus, teneri pastorem, lupum ne quidem appellare lupum, multò minùs testimonium ferre ad oves, hoc animal lupum esse, ideoq; ipsis cavendum, forsan neq; quòd lupus sit certò credere (quòd ipse ovina pelle tectus hoc neget?) Absurdissima: quis enim huc quenquam adstringet?

14. III. Quia † doctores falsi & probandi sunt, & à purè docentibus separandi. Instructio est Christi *Matt.* 7. *v.* 15. *attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces.* Johannis 1. Epist. 4. v. 1. *dilecti, ne omni spiritui*

Spiritui credite, sed probate Spiritus, an ex Deo sint. Pauli 1. Thes. 5. v. 19. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Quo nomine celebre dederunt exemplum Berhoënses, *Act.* 17. *v.* 11. scrutantes Scripturas, si hæc (quæ Paulo prædicabat) ita se haberent. Sed quorsum ista probatio? nisi ut Doctores inventi falsi damnentur, proscribantur, arceantur? Hoc certè præter loca modò allegata DEUS in Veteri Testam. expresè cavit *Deut.* 13. *v.* 1. *& sq. si surrexerit in medio tui propheta, vel somnians, & dederit tibi signum &c. non audies verba Prophetæ illius, vel somniantis, quia tentat vos Dominus DEUS vester &c.* Et dum â Christi ovibus requiritur, ut alienum non audiant. *Joh.* 10. *v.* 5. non modo illum Pseudo-doctorem lupum, & hæreticum cognoscere, verùm etiam fugere, ideoq; damnare jubentur,

IV. Quia † Christiana charitas non modò jubet pericula vitare, sed & proximum de ijsdem vitandis præmonere. Notum est consilium, imò mandatum Pauli *Tit.* 3. *v.* 10. *hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem devita.* Quæ causa hujus moniti? nisi quod facilis est seductio; quemvis igitur â seductoribus cavere oportet. At; quia idem periculum, 15.

quod tu, hæreticum vitando, fugis, tuum quoq; proximum in mala præcipitare potest, jam obtinet Christi regula: *Quæcunq; vultis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis Matth. 7. v. 12.* quis verò non optaret, de quovis fortunæ, multò magis corporis, omnium maximè animæ, periculo moneri? Ergò idem debemq; alijs. Sed quomodo monendus frater? Vide quomodo eundē â scabite, lepra, peste cavere facias; scilicet, non saltē de morbis, seu physicè, seu medicè disserēdo, verùm etiam personas istis malis infectas notando, quò ab illorū consortio sibi temperet. Simili ergò ratione quidni moneremus nos invicē, personam lue animę pestiferâ infectā notantes, ac vitare jubentes. Utrumq; verò non rectiùs præstabimus, quàm, si vel hominem digitis monstratum, vel nomine expressū dicamus scabiosum, leprosū, peste infectum atq; sic etiam hæreticum.

16. V. Quia † Ecclesia Dei omni tempore hac libertate fuit usa, ut à verbo divino divortium facientes, sine ulla circuitione ut impios atq; hæreticos expressè damnaret. In Vet. Testamento Esaias sui temporis sacerdotes vocat *canes mutos, cap. 56. v. 10.* Jeremias Prophetas, *Pseudodoctores cap. 5. v. 31.* idem Achabum & Sedechiam *Pseudoprophetas cap. 29. v. 21.* Ezechiel

chielidem hominum genus *conjunxisse* ait *ad devorandum animas cap.22.v.25.* Amos Amaziam ut hæreticũ, & *idolatram* damnat, *cap. 7.v.14.sq.* Johannes Baptista sub ipsum Novi Testam. exordium nihil mitiùs Scribas,& Pharisæos tractat, in frequenti adeò Judaici populi concursu *viperarũ genimina* salutans *Matt.3.v.7.* non certè ex naturali progenie, quam honestã ducebant ex Abrahamo,sed doctrinâ Satanicâ: Quod si non est hæreticũ proclamare, quid tandem erit? Christus nonnè acerbè fuit insectatus falsos doctores, & Prophetas *Matth.7.v.15. attendite â falsis Prophetis &c.* item Pharisæos & Scribas, qui se hypocritas probent, ac hereticos, jejunio,eleemosynis,& oratione *Matth.6.v.2. 5.16.* regnum cœlorum hominibus claudant *Matth.23.v.13.* domos viduarum comedant *v.14.*&c. ubi notabilis est frequens illa tituli *hypocritæ* repetitio. Et quid est hæresẽos damnare, si hoc non est, quando ait Dominus,*cavete â fermento Pharisæorum?* Matth.16. v.6. h. e. *â doctrina illorum* v.12. Petrus *Act.8. v.20.* Simonem Magum his verbis damnat; *pecunia tua sit tecũ in perditionẽ, quoniã donũ DEI existimasti pecuniâ possideri. Non est tibi pars,neq; sors in sermone isto &c.* Paulus Apostolus illos quos ex Spiritus sancti præsagio Ecclesiam Ephesinã turbaturos prædicebat,

lupos graves appellat, metaphorâ certè admodum durâ hæreticos dicens *Act.* 20. *v.* 28. Pseudoapostolos ut falsa docentes coram Concilio Apostolorum sistit, *Actor.* 15. *v.* 6. eosq; in Epistolâ ad Galatas graviter perstringit. Elymam Magum plenus Spiritu S. intuens, sic affatur; *O plene omni dolo, & omni fallacia fili Diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas Act.* 13. *v.* 9. & sq. Hymenæum & Alexandrum circa fidem naufragos *Satanæ tradidit*, ut discant non blasphemare 1. *Tim.* 1. *v.* 20. idem Hymenæum & Philetum his verbis hæreticos proclamat: *profanas vocum novitates devita; multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui â veritate exciderũt, dicentes, resurrectionem esse factam, & subverterunt quorundam fidem* 2. *Tim.* 2. *v.* 16. & *sq.* Phigellum & Hermogenem: *aversi sunt â me omnes, qui sunt in Asia, ex quibus Phigellus & Hermogenes* 2. *Tim.* 1. *v.* 15. Johannes Apostolus excommunicandum suadet omnem â doctrina Evangelica alienum *Epist.* 2. *v.* 10. *si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dicit ille ave, communicat operibus ejus malignis.* Et Epist. 3. *v.* 9. *Scripsissem forsitan Ecclesiæ, sed is qui amat primatum gerere*

gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos. Hæc illustrissima exempla Ecclesiam in casibus similibus liberè judicare docent. Quid enim pristinam illam in damnandis hæreticis libertatem Ecclesiæ nunc ademit, aut quid saltem clavis hujus ligantis exercitium cohibere potest? Certè, qua potestate, quovè Spiritu antiqui isti Ecclesiarum proceres, & antistites in hæreticos sunt invecti, invehemur & nos, citra tamen ullum convicium, aut modestiæ Christianæ desertionem.

VI. Quia † Photiniani non minus, ac alij damnant sibi contradicentes. Quamvis enim se pro fratribus nos agnoscere profiteantur, ut habent verba Ostorodi superius citata; attamen; dum multorum gravissimorum, eorumq; fundamentalium errorum nos reos agunt; nonnè in ipsa rei veritate nos tanquam fidei subversores, i. e. hæreticos damnant? Et Rom. Pontificem *Antichristum* dicendo, annon unà nobiscum ipsum ceu hæreticorum patrē proscribunt? 17.

OBJECTIONES.

I. 18.

Quantò † rectius facerent (Lutherani) *si memores essent Pauli dictorum, tu quis es, qui alienum servum judicas? Domino suo stat, aut cadit. Potens est autem erigere eum*, &c. Smalcius cont. D. Frantz. pag. 9.

19. Resp. † 1. Fallacia æquivocationis in voce *judicare*. Scimus sanè, prohibitum esse judicium de proximo, sed 1. *temerarium*, circa res nihili, salutem æternam non concernentes; qualia erant judicia Pharisæorum de Johanne, & Christo *Matth.* 11. *v.* 17. 18. *venit Johannes neq; manducans* &c. de Apostolis spicas vellentibus sabbatho *Matth.* 12. *v.* 2. manus ante cibi sumptionem non lavantibus *Marc.* 7. *v.* 2. non jejunantibus, *Luc.* 5. *v.* 33. 2. Vel *hypocriticum*, sui laudem, proximi confusionem quærens: Cujus generis est illius, qui non animadverso trabe in oculo proprio, festucam ex oculo fratris eximere laborabat *Matth.* 7. *v.* 3. 3. *Satanicum*, ex ἐπιχαιρεκακία, dum super alterius lapsu exultamus ac proximum condemnamus, natum: quale, ne apud Christianos audiatur, Paulus seriò prohibet *Rom.* 11. *v.* 18. Non tamen omne judicium: quomodo enim probarentur Spiritus, nùm sint ex DEO? 1. *Joh.* 4. *v.* 1. quomodo vox pastoris discerneretur â latronum? *Joh.* 10. *v.* 4. 5. quomodo Christus, Prophetæ, & Apostoli potuissent sibi in doctrina adversantes tanto cum Zelo damnare? Dum ergò quæstio est de judicio Christiano, quod 1. sui; ac proximi æternam salutem curat. 2. Divinitus est mandatum. 3. illustrissimis sanctorum exem-

exemplis comprobatum. 4. cujus norma in sacris monstrata. 5. Idq; non nimis rigidum, nec salutem & conversionem cuique denegans: Paulus verò temeraria, hypocritica, Satanica prohibet; patet cuivis, quantum consequentia per terminorum quaternitatem fallat.

II.

DEUM † oramus, tales viros catervatim mittat, qui prudentia cœlesti præditi res in Christiana Repub. ita administrare possint, ut sola charitate omnia transigantur, & omnes, qui ad unum ovile Christi pertinent, congregentur & unanimiter DEUM collaudent. Smalc. cont. Frantz. disp. 3. pag. 91. 20.

Resp. † Scimus & hoc, charitatem Christianam nobis esse commendatam; Scimus tamen, quousq; eam neq; Salvator noster, neque Apostoli extendêre, hactenus neque abs nobis extendendam esse. Omnia igitur charitate regenda, quousq; illa locũ invenit, extendiq; potest: Ex confirmatione autem Theseos satis, superq; constat, charitatem Christianam, cujus primum exemplum fuit *Christus*, ipsum à contentione, imò condemnatione Pharisæorum, Scribarumq; nequaquã abstraxisse: Sed neq; *Johannẽ Baptistam*, quò minùs Pharisæos viperarũ genimina diceret; grave scilicet judicium in eos exercentem: Neque *Paulum* in Elymã, Hymenæum, 21.

Philetum &c. vel *Petrum* in Simonem magum condemnatoriam sententiam ferentes. *Act. 8. v. 20. cap. 13. v. 10.* &c. Ergò Christiana charitas licito isti judicio non obstat; neque charitas perplenum, perfectumq; sui usum judicium tollit. Fallacia igitur committitur oppositorum. 2. Charitas per hæreticorum condemnationem adeò non excluditur, ut potius, tanquam severiore admonitione, per charitatem ab interitu revocentur errantes, non secus, atq; Paulus Apostolus â charitate discessisse dicendus non est, qui incestuosum Corinthium Satanæ tradidit. *1. Cor. 5. v. 5.* Ut enim hoc factum est in conservationem Spiritus (ideoq; non præter charitatem) sic & hæreticorum condemnatio.

Error VIII.

In ijs, quæ ad æternam salutem per se necessaria nõ sunt, opinionibus variare, est libertatis Christianæ effectus.

1. Notoria † est, & apud omnes extra dubium posita distinctio; quòd quædam ad Religionem pertinentia sint *de fide*, illius substantiã essentialiter constituentia; quædã

circa

circa fidem, ἀσίαν per se non tangentia, melioris tamen intellectus, & cœtera plenius declarandi caussâ, mota. De *priore* quæstionum, & controversiarum genere certum est, quòd quicunq; vult salvus fieri, eum cuncta sarta-tecta tenere, ac servare oporteat. *Posterius* in dubium vocari potest; siquidem non continet fidei salvificæ partes, quæ citra salutis periculum videntur, vel ignorari posse, aliqua etiam negari.

In † affirmativam ire videntur Photiniani, non saltem, quando libertatem sibi sumunt, opiniones varias, maximèq; incommodas, sine omni scripturarum fundamento, comminiscendi, ac defendendi: sed etiam quando *Smalc. cont. D. Frantz. disp. post. 4. pag.* 382. scribit: *opinionum in rebus, quæ salutem non concernunt per se, si quæ apud nos diversitas, eam libertati, ad quam vocati sumus, acceptam referimus, & ingentes Deo gratias eo nomine agimus, quòd ex servitute Antichristi clementissimè nos liberavit.* 2.

EXAMEN.

Per † *opiniones* intelligo eiusmodi asserta, vel negata, quæ quidem circa fidem, illiusq; articulos existunt, quorum tamen, neq; affirmatio, nec negatio, immediatè fidem vel constituit, vel destruit, quamvis eam conse- 3.

quenter enervare posit. Qualiter olim quidam pascha cum Judæis celebrandum duxerunt: alij circumcisionem & alia Levitica putarunt esse necessaria. Et hodie Anabaptistæ volunt esse bona communia, bella gerenda negant, officium magistratus impugnant, &c. Alij conjugio abstinendum, svadent, peregrinationes ad sanctorum sepulcra, exosculationes reliquiarum &c. salutares putant. Alij organa Musica in templis non ferenda, cœnam in altari, (per pontificiam missæ idolomaniam polluto) non administrandam, panem Eucharisticum in actione Sacramentali frangendum, &c. judicant.

4. Etsi † verò neq; illa servitus cuiquam placeat, qua, uti sub Antichristo Romano factum, ad unius vel alterius hominis placitum vivere, ac mori, necessum est; huius tamen jugi excusio (quam nunquam non grata mente agnoscimus) eam nobis licentiam non peperit, ut in omnibus ad salutem strictissimè non necessarijs pro lubitu cuivis quidlibet decernere sit liberum.

5. Talem † verò asserit *Smalcius*: cùm enim Dn. D. Frantzius *Disp. de ordine Ecclesiastico* Anabaptistis objectaret, ipsos, ob ministerij Ecclesiastici repudium, minus decenter in suis

ſuis Eccleſijs agere, atq; ſectis, & opinionibus inter ſe dividi; Smalcius loco allegato, generaliter pronunciat, *opinionum in rebus ſalutem per ſe non concernentibus diverſitatem, libertati, ad quam vocati ſumus, acceptum ferendam.* Ubi notamus, diſtingvi res ſalutem per ſe, & non per ſe concernentes: Etſi verò quid *τὸ per ſe* notare debeat, illic non declaretur; attamen intelligi ea, *quæ directim fundamentum fidei tangunt, & non ſaltem per conſequentias. ſed immediatè, directim, non per & propter aliud ad ſalutem ſunt neceſſaria*, ipſa phraſis monſtrat, & Photiniani Per Se ad ſalutem neceſſaria dicunt, quæ quàm directiſsimè, & Solo ſummo neceſsitatis gradu ſunt neceſſaria. Vide *Cateth. Racov. pag. 25. 26. Oſtorod. Inſt. cap. 3. p. 28.* Ex quo colligimus: Smalcium libertati Chriſtianæ adſcribere, & quidem tanquam ſingularem quendam illius effectum, diſſenſiones in opinionibus etiam illis, quæ conſequenter, & mediatè negotium ſalutis tangunt.

Auget † ſuſpicionem hanc, quòd illi paſſim profitentur, ſe pro fratribus lubentes agnoſcere, ideò non condemnare quoscunq; ab illis diſſentientes, Evangelicos, pōtificios Lutheranos, Calvinianos, Anabaptiſtas, & quos nō? Id enim juxta hanc ipſorum regulam fieri puto, ut in ijs, quæ ſalutem Per Se non 6.

non concernunt, cuivis opiniones esse liberas, censeant; &, in quibus Evangelici vel à Photinianis, vel cæteris hæreticis dissident, ea esse talia, de quibus quidvis sentire, & opinionibus variare per libertatem Christianam in cuiusvis sit arbitrio. Etsi autem Smalcio planè sit liberum, si rectiùs sentit, mentem suam commodius explicandi; interea, quantum, quid ipse statuat, colligere licet, consensum illi nostrum denegamus, de hoc negotio ita sentientes: 1. Libertatis Christianæ est, non pendere ab ore hominis, cuius opiniones, utut absurdas, atque monstrosas, & in proprio illius cerebello natas, sub interminatione æternæ damnationis acceptare, & adorare teneamur; qualiter Romanus Pontifex quondam Christianos sub jugum durissimum cogere non est veritus. 2. Quæ salutem, ac fidem salvificam concernunt, vel immediatè, proximè & constitutivè, seu essentialiter ad eam pertinent, de quibus inter nos, & Smalcium nulla controversia; siquidem affirmamus utrinq;, nemini esse liberum, quicquam in fidei essentialibus latum ungvem à veritate cœlitus monstratâ discedere; vel eò referuntur mediatè, consequenter & obliquè: Et illâ rursum in duplici sunt differentiâ: 1. Si considerentur ratione cognationis

cum

cum fidei fundamento; quædam ita sunt comparata, ut illorum *affirmatio ad salutem cognitu necessaria non sit:* attamen opposita *negatio per consequentiam fundamentum labefactet.* Utpote: scripta Mosis, scripta Esaiæ, Johannis, cæterorumq; autorum sacrorum, esse θεόπνευστα & canonica, non quidem scitu necessarium est: multi siquidem salvantur, multi etiam, antequam ipsorum quisquam aliquid scriberet, sunt salvati, absq; tamen istius historici dogmatis notitiâ. Postquam verò hæc jam scripta extant, nosq, ex illis fidem petimus; utiq; præfractè negans, quòd ista scriptura sit θεόπνευστος, periculosè errat, & fidei fundamentum convellit, quatenus se & Ecclesiam proprio Christianæ scientiæ principio privat. Talia etsi per se non sint de fide, sic tamen sunt comparata, ut illorum negatio sit periculosa, imò exitiosa, ideoq; opinio de ijs non cuivis libera. Alia verò ratio est eorum, quæ, sive affirmata, sive negata, partem fidei neq; constituunt, neq; evertunt. Ut: num angeli primo, an alio quodam creationis die sint creati? & in ijs talem opinionum libertatem concedimus. 2. Quæ ad fidem quacunq; etiam ratione pertinent, vel in scripturis sunt decisa, vel non sunt. Quæ posterioris generis, libertati Christianæ serviunt;

unt; in ijs verò, quæ prioris, nulla ratione libera est cuivis opinio.

7. Summa † igitur est sententiæ nostræ: *De ijs, quæ salutem directim & per se non concernunt, si vel ipsorum negatio fundamentum evertat, vel decisio in scripturis extet, dissidere opinionibus, non est Christianæ libertatis opus.* Hîc verò ulteriore, magisq; distinctâ Smalcianæ opinionis declaratione est opus; interim thesin meam stabilio, oppositam verò Smalcij everto his fundamentis.

8. I. Quia † libertas Christiana nusquam eousq; extensa legitur. Libertatis Christianæ terminos metiri, nostrum non est; quos potiùs decet, ultra limites â Deo præscriptos nihil nobismet libertatis, aut potestatis sumere; ut quousq; Deus ipse libertatem permittit, eam usurpemus, non ultrâ; permisisse verò Deum, ut quisq; variet opinionibus (semper excipio saluti strictè necessaria; & verba mea ad scopum controversiæ accommodata volo) nusquam in verbo legitur, sed neq; per consequentiam idoneam inde potest probari: Ante omnia igitur asserentem Smalcium decebat firma fundamenta affirmationi subdidisse.

9. II. Quia † DEUS talia themata in

in verbo suo decidens libertatem opinionibus variandi omninò sustulit. Esse verbum Dei non saltem normam scientiæ summè necessariæ, sed cuiuscunque etiam alterius, sive sit Ethica sive Physica; seu deniq; Theologica, nemini Christiano dubium fieri potest. Hinc argumentor: Quicquid Deus in verbo suo decidit, ac definivit, sive ad salutem necessarium, sive non necessarium: circa illud nemini hominum fas est, opinionibus variare: neque Christiana libertas id cuiquam permittit. Sed multa, imò pleraq; quæ circa Theologiam quæri possunt, etsi saluti extremè non necessaria, in sacris literis à Deo sunt definita & decisa, ergò in multis, imò in plerisque, quæ circa fidem Christianam, vel Theologiam quæri possunt, nemini fas est variare opinionibus, neque id permittit Christiana libertas.

III. Quia † ob quam causam liberum non est, circa articulos fundamentales opinionibus variare, ob eandem etiam concessum non est in alijs, salutem licet consequenter, & per obliquum, attingentibus quodlibet approbare, vel improbare. Ratio prioris 19.

prioris est, *ne salutis fundamentum convellatur;* Verum: eadem etiam locum habet in posteriore. Sic itaq; argumentor. Cuiuscunque dogmatis negatio, aut corruptio, fundamentum salutis evertit, de illo non est licitum opinari quidlibet. At; multorum, quæ Per Se scitu ad salutem necessaria non sunt, negatio, vel corruptio fundamentum salutis evertit. Quod exemplis probatur. Si *circumcisio* observatur ut necessaria, cadit libertas Christiana, intercipitur fructus & efficacia meriti Christi, dicente Apostolo: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. Gal. 5. v. 2.* Si *Papa Romanus* statuatur Ecclesiæ caput, & absolutus Ecclesiæ doctor, derogatur Christo, & officium illi proprium in alienum transfertur, non absq; impietate, Dei offensione & salutis periculo Scire *Deum esse Spiritum*, non est ad salutem Per Se necessarium (loquor ex opinione Photinianâ) nosse Quis sit unicus ille æternus Deus, non est Per Se necessarium, quod utrumq; satis clarè definiunt *Catech. Racov. pag. 25. 26. Ostorod. Inst. cap. 3. pag. 28.* Cui verò libertate Smalcianâ uti placuerit, is circa hæc duo puncta liberè, ac sine salutis periculo, definierit; Deum esse corporeum, Jovem, vel Baalem esse illum unum, & æternum Deum: quod, an fundamentum

mentum salvum, ac integrum relinquat, Christiano cuivis liberum esto judicium.

IV. Quia † sic liberè sentientes gravissimam reprehensionē incurrunt. 11.

Quicquid est Christianæ libertatis, id qui facit, justam reprehensionem ideò non incurrit: & vicissim: quicquid meretur reprehensionem, hoc ex libertate Christiana per se non proficiscitur. Subsumo: varietas opinionum circa ea, quæ ad salutem per se necessaria non sunt, (utor hoc termino in sensu Photiniano) justam reprehensionem incurrit: quod probo: *Regnum Christi* esse terrenum, aut cœleste, ac spirituale, non video, â Photinianis numerari inter per se necessaria: de hoc autem themate statuebant Judæi, ac in his discipuli, prius; nimirum, regnum fore terrenum: reprehendebantur ob id *Matth.* 20. *v.* 22. *Act.* 1. *v.* 7. & quoties *de prioritate* litigantes dignitates politicas affectabant. *Sitnè circumcisio adhuc observanda*, vel secus? etiam necessaria, an pernitiosa? non puto numeratum iri ab Adversarijs inter per se necessaria. Verùm docentes circumcisionis necessitatem, gravissimè â Paulo reprehenduntur *Gal.* 5. *v.* 1. *sq.* ut ijs, qui Pseudodoctores hos secuti circumcisionem reducere moliebantur, apertè dicat: *Si circumci-*

cumcidamini, Christus vobis nihil proderit &c. Cum gentibus, & Judæis ad fidem Christianam conversis *cibum capere*, vel ab eo desistere, libertatis Christianæ est. At; Petrus Apostolus hujus circumstantias non satis attentè considerans, reprehensibilis factus est, quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelij *Gal. 2. v. 14.* cui proinde Paulus in faciem restitit *v. 11.* Ergò, varietas opinionum circa ea, quæ ad salutem necessaria non sunt, ex libertate Christiana per se non proficiscitur.



Ca-

Caput. II.

De Cognitione Dei.

Salvifica Dei notitia, quam Dominus, & Salvator noster Jesus Christus vitam æternam esse pronunciat, ut ex omni sua parte ab hæreticis cùm antiquis tùm recentibus hostiliter petitur, petitaq; fuit; sic nihil reliqui faciunt hodierni Photiniani, quin Dei notitiam erroribus varijs corrumpant; præcipuè quidem de nominibus, essentiâ & idiomatis, personis, voluntate, ac operibus siniſtra docentes; attamen, medium quoq; cognitionis, quod nos & scripturam, & naturam dicimus, ex parte negantes, & quæ de Dei essentiâ scitu sunt necessaria, ad terminos nimium angustos revocantes, non parum illi detrahunt. Hinc duo errores, examinandi.

Error I.

Deus non innotescit hominibus per naturam; sed, quicquid illi de Deo sciunt, hoc omne habent ex revelatione.

1. Semper † in Ecclesia constans doctrina obtinuit; Deum non saltem *per specialem revelationem* populo suo factam, sed etiam *ex naturæ lumine*, quibusvis hominibus fuisse cognitum: Unde illam *revelatam*, hanc *naturalem* Dei notitiam; illam ex *scripturâ*, hanc ex *naturæ* libro haustam dixerunt. Licet utramq; harum hodierni Photiniani & Antitrinitarij arrodant & hostiliter petant, specialiter tamen notitiâ naturalem in universum negant *Socinus* Miscell. respons. ad object. Cutteni 5. pag. 86. *homo ipse per se nec seipsum, nec DEUM ejusq; voluntatem cognoscere potest, sed necesse est, ut hæc illi DEUS aliqua ratione patefaciat.* Idem Prælect. cap. 2. pag. 3. *receptior hodiè sententia est, homini naturaliter ejusq; animo insitam esse divinitatis alicujus opinionem, cujus vi cuncta regantur ac gubernentur; quæq; humanarum rerum inprimis curam gerat, hominibus consulat atque prospiciat. Hæc sententia, quam nos falsam esse arbi-*

arbitramur &c. Ostorod. Inst. cap. 7. pag. 10. Das die Menschen von Gott / oder von der Gottheit etwas wissen / dz haben sie nicht von Natur / noch aus betrachtung der Schöpffung / sondern von hören sagen: sintemal sich Gott von anfang dē Menschē offenbaret hat. *Quantum* (ait) *homines de DEO aut de Deitate sciunt, id non habent à natura, neque ex consideratione creaturarum, sed ex auditu; ab initio enim DEUS sese hominibus manifestavit.*

EXAMEN.

Nos † quando DEUM *naturâ notum* dicimus; 1. notitiam DEI *perfectiorem sive salutiferam;* & *qualem cunq; rudem* & saltem inchoatam, ratione graduum & insequentis effectus, qui est vita æterna, necessariò distinguimus. Nam talem DEI notitiam, quæ homini ad adeptionem vitæ æternæ sufficiat, ex natura promanare, non credimus: hoc quippe sensu homo naturalis, & sibi relictus, SINE DEO in mundo vivit *Eph.* 2. *v.* 12. DEUM planè ignorans 1. *Thes.* 4. *v.* 5. Et hactenus minimè nos tangunt conatus *Catechismi Racovienſis pag.* 22. quæstionem ita formantis: *An homo viam ad immortalitatem per se cognoscere quiverit?* Execramur enim affirmativam ex animo; eamq; in Puccio Ecclesiæ nostræ jam pridem damnarunt. Loquimur verò de *inchoata, rudi,* & ad 2.

salutem adipiscendam prorsus insufficiente notitiâ.

3. 2. Ratione † *objecti* distiguenda est notitia *essentiæ & propriorum*, qua novit homo Esse Deum, eumq; justum, æternum, sanctum colendum &c. â notitia *voluntatis*. Primariò nobis quæstio est de *essentia*; secundariò de voluntatis notitia. Ubi rursum distinctione opus, voluntatis DEI generalis, â speciali: Quarum *prior* non saltem in creaturarum conservatione paternam providentiam exercet, sed etiam peculiariter se beneficum in bonos. justum, ac severum in malos exhibet: *Posteriore*, hominum restitutionem & æternam salutem optat, & expetit; eamque per filium mediatorem, per verbum, & Sacramenta operatur, & ad actum traducere laborat. Prior illa, ex aliqua parte innotescit naturali homini; hæc verò posterior, nullo modo.

4. Imprudens † ergò in statu formatione Ostorodus sine discretione voluntatis divinæ, quæstionem talem statuit. Ob es auch war sey/ das der Mensch von Natur so weise gewesen/ vnd noch jetzt sey/ das er aus der blossen betrachtnng der Schöpffung Gott/ vnd seinen willen ohne sonderliche Göttliche offenbarung/ hab erkennen können?

Anno

Annè verum sit, quòd homo â naturâ ejus fuerit sapientiæ, & adhuc sit, ut ex nudâ creaturarum consideratione DEUM, ejusq; VOLUNTATEM sine peculiari divina revelatione cognoscere potuerit? Etenim; si solam *generalem*, voluntatem intelligit; rectè quidem statum formaverit: sin verò non minus *specialem*, ac generalem vult intellectam (quod ipsum facere *cap. 5. Instit.* testatur) jam statum pervertit; & negativæ patrocinando, nos haudquaquam offendit, multo minus oppugnat.

3. Ratione † *originis*, omnem illam cognitionem dico *naturalem* quæ â DEO specialiter revelata non est; sed quam quisque 1. ex seipso, & tacito proprij cordis motu. 2. ex creaturarum vel naturæ intuitu. 3. ex majorum (quatenus illi solam naturam magistram fuère secuti) doctrinâ, & institutione hausit. 5.

QUÆSTIO igitur hæc est. *Annè DEI essentia, & voluntas generalis homini, per naturam, sine speciali revelatione, qualitercunq; innotescat?* Negativam tuentes Photinianos vidimus; Affirmativam, quæ nostra est, duplici argumentorum classe stabilio; quarum una notitiam DEI mentibus humanis *ingenitam*; altera per

creaturarum consideratione *acquisitam*, probatam dabit.

6. INGENITAM † verò notitiam dicens, minimè sentio, formasse DEUM quandã *sui ideam* & ceu imaginem in hominũ animo. Eam enim 1. ne hodie quidẽ revelationis beneficio assequimur Christiani, quamdiu imperfectã hanc vitã vivimus. 2. Gentiles sculptilibus, quæ cultus gratiã conficiebant, formã istam impressissent, vel certè nulla corporea forma DEUM repræsentari posse censuissent; nec gloriam incorruptibilis DEI in formam hominum, quadrupedum, volatilium &c. mutassent. *Rom.* 1. *v.* 23. 3. Etiam nunc homines talem secum ideam, ac νόημα circumferrent, quod falsum. Sed naturalem quendam etiam gentibus communẽ *instinctum*, seu *habitum* verius, intelligo, quo mens, ceu vi quadam occultâ, ad numen venerandum, auxiliũ ejus in necessitatibus implorandum, & sperandum, nec non expectandum pœnas propter peccata immittendas, rapitur, impellitur, cogitur.

7. Talis † Dei notitia cordi humano innata per ἐνέργειαν sua facilè cognoscitur. Ea verò duo sunt: I. DIVINÆ LEGIS NOTITIA; quam nõ ex auditu, & ut ita dicã, traditione âNoacho, vel alijs patribus deductã habemus: Sed ante prædicationẽ Evangelij naturâ dictante ac-

te acceperant gentiles. Hinc DEUS natura notus arguitur, *Quia gentes, ad quas verbi revelati notitia nondum pervenerat, legem* NATURA *norant.* Unde argumentor: Quicunq; naturâ novit divinam legem, is naturâ intelligit. 1. DEUM *esse* (ceu causam efficientem seu legislatorem nec non materialem seu primæ tabulæ subjectum.) 2. & quidem *unum* (docente præcepto primo) 3. eumque *colendum* (is enim finis legis) 4. *beneficum, & justum,* præmij promissiones, & pœnæ comminationes legi annectentem: & consequenter; qui legem naturâ intelligit, idem naturâ Deum novit. Sed gentes ante auditum verbi revelati naturâ norant legem; ergò gentes naturâ Deum cognorant.

Minorem † probat sententia Apostolica *Rom. 2. vers. 14. cùm gentes, quæ legem non habent, naturâ ea quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, sibi ipsi sunt lex; ostendentes opus legis scriptum in cordibus suis.* Qui textus pro minoris probatione *quatuor* argumenta satis evidentia submistrat. 8.

1. *Quicunq; † divinâ revelatione destitutus novit legem Dei, is illam necessariò habet à naturâ.* Nec enim divina voluntas est humanæ inventionis; sed, aut divinæ revelationis, aut naturalis inscriptionis (præter quos 9.

duos cognitionis modos tertium, hoc quidem in casu, nemo dabit) gentes autem legem EJUSMODI h. e. revelatam non habent; nihilominus lege prorsus omni non destituuntur. Ergò gentes per naturalem inscriptionem legem habeant, necesse est.

10. 2. *Quicunq;* † NATURA *facit ea, quæ legis sunt, is legem etiam habet, ac novit propria naturâ edoctus.* Quæ propositio sponte nascitur. 1. è notione termini *naturâ facere*, τῇ φύσει enim ea sunt, quæ per nativitatem contingunt. *Gal. 2. v. 15. nos naturâ Judæi Ephes. 2. v. 3. nos naturâ filij iræ.* Et, τῇ φύσει sciuntur quæ nemine dictante aut docente novimus. *Epist. Judæ. v.* 10. *Et* 1, *Cor.* 11. *v.* 14. *ipsa natura docet nos, si vir comatus sit, ignominia est illi &c.* neque dari potest expositio eius termini alia huic textui congrua.

11. Similiter † ergò τῇ φύσει facere τὰ νομικὰ est naturali instinctu, sine doctrinâ forinsecus accedente aliquid operari. Subsumo: gentes faciebant τῇ φύσει τὰ νομικὰ, ergò sine revelatione divina: & per consequens, gentes ante revelationem viventes per nativitatem legem habuerunt. 2. Ἐκ ἀντιθέσεως, *seu oppositione legis per revelatio-*

lationem cognitæ, qualem habebant soli Judæi, *& per naturam notæ.* Hinc argumentor: si gentiles ideò dicuntur Φύσει fecisse τὰ νομικὰ, quia lege per cœlestem revelationem destituebantur, & consequenter, secundum legem præscriptam operari non poterant, uti faciebant Judæi; sequitur, gentiles notitiam legis habuisse ex naturâ. Prius non potest negari, quòd ἀντιθεσις legem habentium & non-habentium illud strictè exigat; neq; alia oppositionis ratio dari queat. Ergò verum etiam posterius. 3. *à consequente à simili.* Faciebant τὰ νομικὰ Judæi & gentiles, hi naturâ, illi ex præscripto. Uti verò rectè colligo. Judæi *faciunt* quæ sunt legis, ex tabulis Mosaicis: & hinc petita institutione: Ergò Judæi etiam ex tabulis Mosaicis, & hinc petita institutione legem HABENT: sic modo simili argumentor: Gentes faciunt quæ sunt legis NATURÆ; ergò legem à naturâ etiam habent.

3. *Quorumcunque† cordibus lex divina* 12.
est inscripta, hi legem habent, sine externa & peculiari revelatione à se ipsis. Cuius veritatem etsi videatur infringere modus loquendi scripturæ non insolitus, quo etiam per institutionem & doctrinam hominibus tradita, cordibus inscripta

memo-

memorantur *Jerem.*31.*v.*33.*Hebr.*8.*v.*10.2. *Cor.*3.*v.*3. Attamen 1. ex scopo Apostolico abundè cernitur, talem in corda gentilium scriptionem doceri, quæ à speciali illa Judæis propria *Exod.*20. *v.*1.*seqq. Psal.* 147. *v.*19. differat, imò illi opponatur. Remove jam modum cognoscendi legem Soli Judaico populo proprium (in cœlesti revelatione & parentum institutione *Deut. 6. vers.7.* consistentem) nec quicquàm præter naturæ dictamen supererit. 2. producta exempla satis clarè loquuntur de inscriptione factâ, aut futurâ per institutionem externam; nihil ergò collectioni officiunt; siquidem omnem scriptionem in corda restringunt ad unicum hunc modum, qui fit per institutionem; neq; probant, Paulum velle *talem in specie* intellectam: potius autem sic docent argumentari: gentilium cordibus lex est inscripta, aut eo modo, quo Judæis, aut per naturam. Atqui non modo priore, Ergò posteriore h. e. per naturam.

42. 3. *Quicunq; † ita* Sibimet *lex est, ut eo ipso alteri, cui lex per revelationem, & institutionem est tradita, opponatur, is legem minimè omnium habet ex revelatione, aut institutione, sed unicè per naturam.* Quæ propositio est manifestæ veritatis. 1. Enim: locutio (*sibi ipsi est lex*) externæ revelationi, aut institutioni

tioni tantâ cum ἐμφάσει opponitur, ut cum ea nullo pacto consistat. 2. Judæis gentes (quando de modo accipiendi, & cognoscendi legem sermo est) non possunt aliter opponi, quàm, quòd illis revelata, & per doctrinam instillata est, his non item. Sed gentes ita SIBIMET lex erant, ut Judæis, quibus illa per revelationem, & doctrinam contigit, in eo opponantur. Ergò gentes legem non habent, nisi naturâ insitam.

II. Alterum † insitæ & ingenitæ notitiæ 14.
Dei κριτήριον est hominum CONSCIENTIA. Hinc Deus naturâ notus arguiritur: *Quia homines convincit conscientia, esse DEUM.* Duplex potissimum est conscientiæ testimonium. 1. Lætitia super bono. 2. Tristitia super malo. Illud effectus est sanæ, & salvæ conscientiæ; hoc læsæ. Sana conscientia est laudis, ac præmiorum ob actiones bonas, & honestas expectatio. Notissimum est, quanti gentiles vitam virtuosam æstimarint, quòd animum pacatum, & tranquillum reddat; ut alij hanc animæ voluptatem, proprium summi boni fructum: alij ipsummet summum bonum (quæ forsan Epicuri mens fuit) credidisse putentur. At; vide hanc conscientiæ lætitiam in illo etiam, cui voluntas Dei revelata non est, & quidem eam conscientiæ serenitatem, quæ adversus

omnium

omnium hominum conatus clarescat, quamvis in hac vita nulla remuneratio, sed certum exitium expectari possit. Annon verò tales Deum bonorum remuneratorem in cordibus suis descriptum apertè testantur?

15. Conscientia † læsa & vulnerata est severi judicij & pœnarum peccatis promeritarum expectatio. Definitio sumta est ex *Levit.* 26. *v.* 36. *Job.* 15. *v.* 21. *Prov.* 28 *v.* 1 *Sapien.* 17. *v.* 11. 12. Cumprimis autem *Rom.* 2. *v.* 15. 16. ubi ait Apostolus: *Conscientia* (gentilium) *testimonium reddit, & cogitationes se invicem accusant & defendunt in die, quo judicabit Deus occulta hominum.* Nolo nunc ad quemvis singularem hominem accommodare, sed eos, qui. 1. legem scriptam non habent; vel si forsan ex traditione majorum habent, flocci, ac nihili faciunt, imò per supinam negligentiam prorsus ignorant, omnemque illius notitiam ex animo malitiosè excutiunt. 2. Quorum peccata hominibus occulta, ut ex Politico foro nulla pœna, nullum malum sit expectandum: Vel etiam, qui potentiâ, qua pollent, aut morte superveniente, pœnis, ab humano judicio alias infligendis, subducuntur. Tales no-

les noti sunt multi, qui facinoribus polluti, & illis quantumlibet occultis adeò excruciantur animi, ut hic quidem magistratui scelus aperiat, & pœnam exposcat ipse: ille manus sibi violentas inferat; alius in agone constitutus trepidare incipiat; de commissis sceleribus dolere, semet execrare, ac diris devovere. Quis terror illé, nisi severi judicij expectatio? At cuius? Num humani? At hoc, ut dictum, subterfugit. Ergò divini. Quod annon est DEUM judicem, ac scelerum vindicem naturâ agnoscere?

Notitiam †DEI per creaturarum intuitum ACQUISITAM inde probare planum est. 1. Quia scriptura apertè testatur ex creaturis cognosci DEUM. Remittit DEUS sæpius homines ad inanimata & bruta: ut ipsum vel exinde discant agnoscere. *Job. 12. vers. 7. interroga jumenta & docebunt te, & volatile cœlorum & indicabit tibi: Loquere terræ & docebit te, & narrabunt tibi pisces maris. Quis non novit in his omnibus, quod manus Domini fecit hoc?* Esa. 40. vers. 26. *levate in excelsum oculos vestros & videte, quis creavit hæc? educens* 16.

ducens in numero exercitum eorum Sapien. 13. v. 3. sqq. de gentilibus Solem & Lunam adorantibus verba faciens ait. *Si horum specie delectati Deos putaverunt, sciant quantò his Dominus melior est: Nam speciei præcipuus generator creavit hæc. Si autem virtutem & operationem mirati sunt, intelligunt* AB ILLIS, *quantò, qui constituit ipsa, potentior est.* Syrac. 43. v. 1. *Superbia altitudinis firmamentum mundiciæ: species cœli in visione gloriæ; Sol in aspectu annuncians gloriosè, vas admirabile, opus altissimi.* v. 5. *Magnus Dominus qui fecit illum* (solem.)

17. Præ† cæteris autem illustrissimus est locus Paulinus *Rom.* 1. v. 19. 20. *quod notum est Dei, manifestum est in illis* (gentilibus.) *Nam Deus illis revelavit. Nam invisibilia ipsius à creaturis mundi factis intellecta conspiciuntur, ipsaq; sempiterna eius virtus & divinitas, ut sint inexcusabiles.* Locum clarissimum non horrent adversarij in sensum diversum per violentas admodum στρεβλὰς torquere; quibus concedendum non esse locum, tria hæc in textu notanda commonstrant. 1. *subjectum* huius cognitionis quod sunt GENTES, & quidem non conversæ, sed in Ethnicismo adhuc hærentes. Loquitur enim 1. de ijs qui *post quam Deum cognoverunt, veritatem Dei in injustitia detinent.* v. 18. 2. Qui *Deum*

DEUM non sicut DEUM glorificarunt, aut gratias illi egerunt, sed gloriam DEI mutarunt in similitudinem hominis, volucrum, serpentum, quadrupedum &c. v. 21. sqq. 3. *Quos tradidit DEUS in passiones ignominiæ*, ut naturalem fœminarum usum mutarint in eum, qui contra naturam &c. v. 27. h. e. describit Apostolus puros putos gentiles ignorantiæ tempus viventes *Act.* 17. *v.* 30. qui de Evangelio nihil adhuc cognoverant. Inauditum enim est, homines ad fidem Christianam conversos, vitam adeò egisse sceleratam (in primo potissimum fidei fervore ac Zelo) qualiter hoc loco à Paulo describitur. Econtrà, nemini ignotum est, sic vixisse gentes ante nuncium Evangelij. Putida proinde est interpretatio *Catechismi Racov. p.* 23. notitiam DEI interpretantis de ea ⁊, *quæ est per Evangelium* ⁊.

2. *Objectum* † cognitionis. Tria ejus nomina textus præsens habet. 1. τὸ γνωστὸν θεοῦ; quod *Catechismus Racov. pag.* 26. minus commodè sic exponit; *quicquid de DEO scitur. Ostorod. instit. cap.* 1. *pag.* 11. absurdè: Was man von Gott kan wissen/ *quicquid de DEO sciri potest.* Præterquam n. quod γνωστὸν (adjectivo neutro substantivè usurpato) cognitum sive notitiam indefinitè si- 18.

gnificat, sive illa perfecta sit, sive imperfecta, sive qualiscunque etiam: certè γνωστὸν θεοῦ per nullam necessitatem pleniorem DEI notitiam, quàm quòad τὸ ὅτι infert: in præsente verò Apostoli textu τὸ γνωστὸν definitur ac circumscribitur per notitiam τῆς ἀϊδίου θεοῦ δυνάμεως, καὶ θειότητος, æternæ DEI potentiæ & divinitatis; vltra quorum cognitionem, cum τὸ γνωστὸν extendi, neq; hic legatur, neque alicunde probetur; satis commodè, & ad textum vertit Lutherus. Das man weis/das Gott sey etc. 2. ἀόρατα θεοῦ *invisibilia DEI*: quæ non sunt occulta DEI *majestas*, quatenus ratione essentiæ habitat in luce inaccessa. 1. *Tim.* 6. *v.* 16. nec à mortalium quoquam hac in vita conspici potest. *Exod.* 33. *v.* 20. quòd conspectus iste alteri vitæ sit reservatus. 1. *Cor.* 13. *v.* 12. neque *voluntas ejus* circa hominum sive salutem sive condemnationem; utpote, quæ non nisi per Evangelij prædicationem innotescit *Rom.* 16. *v.* 25. 26. Gentibus igitur sibi adhuc relictis prorsus abscondita, juxta illud: *Deum nemo vidit unquam Joh.* 1. *v.* 18. *At; quòd DEUS sit, quòd sapiens, justus, beneficus &c.* quamvis absconditæ sint, ac invisibiles DEI proprietates; ex operibus tamen relucent, adeoque fiunt conspi-

conspicuæ. Hæc ergò sunt ἀόρατα illa, præter quæ aliud quicquam hoc nomine notatum non potest produci. 3. ἀΐδιος θεῦ δύναμις, καὶ θειότης æterna DEI potentia & divinitas. Quæ verba præcedentium sunt ἐξηγητικὰ; in specie namque tria memorantur gentibus cognita, quæ tamen in se sunt occulta. 1. æternitas. 2. potentia. 3. majestas.

3. *Medium* † per quod innotescit DEUS. Id vocibus duabus exprimit textus. 1. *Creatura hujus mundi*; ἀπὸ κτίσεως κόσμου. Quæ verba *Catech. Racov. pag.* 13. & *Ostorod. Inst. cap.* 1. *pag.* 11. ad tempus notitiæ DEI referentes, sic reddunt. *Inde à mundi creatione*. Von der Welt schöpffung her / etc. Rectius verò creduntur esse nota objecti EX quo notitia DEI hauriatur, quia in N. T. vocem κτίσεως de opere creationis usurpatam vix invenio, plerumque verò, si non semper, quatenus *ipsam creaturarum substantiam* significat, quod loca inspecta probant. Ubi non est, quod quemquam moveat præpositio ἀπὸ; quasi illa temporis nota esse soleat: siquidem 19.

i. natura & significatus istius particulæ non poscit exponi de tempore; frequenter enim objectum designat, præsertim verò, ubi de haurienda cognitione fit sermo. Ut *Matth. 7. v. 16. & 20.* ἀπὸ τῶν καρπῶν *à fructibus cognoscetis eos. Cap. 24. v. 32. Marc. 13. v. 28. ab arbore fici discite parabolam.* 2. ἀπὸ in hoc Apostoli loco non notare tempus, sed objectum; colligitur, partim ex eo, quòd scriptura, quoties rei ab origine mundi continuationem & deductionem vult notatam; non ait; ἀπὸ κτίσεως, sed ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως ut videre est *Marc. 10. v. 6. cap. 13. v. 19. 2. Pet. 3. v. 4.* partim ex *altera voce*, medium cognoscendi DEUM exprimente, quæ est ποίημα; & opus solidum, non actionem, & hoc loco opera creationis, apertissimè designat. Ut, quòd Paulus modò effert ἀπὸ κτίσεως κόσμου, hoc rursum clarius reddat, ποιήμασι; & utrinque objectum, ac medium notitiæ se intellectum voluisse, demonstret. Incongrue ergò, ac sine omni fundamento exponunt ποίημα per *opera Evangelij & miracula* tempore prædicationis Evangelicæ edita, *Ostorod. Inst. cap. 1. pag. 11. & Catech. Racov. pag. 23.* Meritò itaq; ac jure optimo probationem ab illis exigimus,

20. Conspicuum † est ex his observatis, & nota-

notatis, textum Apostoli productum naturalem DEI cognitionem firmiter adstruere; quando docet. 1. gentes, quæ neque ex populo Judaico, neque Apostolorum nuncio DEUM cognorant. 2. DEUM cognovisse, quòd sit, quòd æternus, potens glorioſus &c. 3. Cognovisse ex creatione mundi: Hoc enim aliud nihil est, quàm paucis dicere: *gentiles DEUM ex operibus suis agnoverunt.*

II. Quia † omnis effectus proprius arguit causam suam propriam. Omnis effectum quemcunque intuens, certissimè cognoscit, non modò, aliquam illius causam esse, aut fuisse; sed etiam effectu propius considerato, de causæ potentiâ, sapientiâ, dexteritate &c. judicium facit minimè fallax. Cœterùm: mundus, cùm non ex seipso extiterit, neq; casu ex atomis confluxerit, aut ortum similem fortuitum agnoscat; (tales n. opiniones ab Ethnicis sanioribus nunquam non fuerunt explosæ) utique mundus est talis effectus, qui causam arguit quoad τὸ ὅτι, & quoad majestatem, sapientiam, potentiam; quam talem ostendit ac tantam, qualem ac quantam in ullam creaturam visibilem ut ut etiam excellentem cadere non posse, cuivis 21.

naturam intuenti conspicuum est. Invisibile proinde quiddam sapientiâ, potentiaque omnem naturam superans mundum condidisse colligitur. Quid verò illud? creatum an increatum? Sin hoc; inventus utique DEUS est: sin illud; porrò quæritur; â quonam hæc mundi causa exiterit? quo progressu, vel in infinitum eundum est; vel in aliquo supra omnia eminente increato subsistendum, quod DEUS est. Hanc collectionem, gentibus & notam fuisse & frequenter usurpatam, testantur Disputationes Aristotelis de primo motore, qui cùm omnia moveat, â nemine ipse moveatur. 8. *Phys.* & de causa prima 12. *Metaphy.* & alibi.

22. III. Quia † creaturæ laudant DEUM opificem suum. In proverbio est: *opus laudat artificem.* Id quod præstat, *vel effectivè;* quando opus conditorem, quem agnoscit, dignis laudibus effert, ac celebrat; vel *objectivè*, cum autorem, & opificem ignorans semetipsum aliis agnoscendum objiciendo, ansam illis præbet, ex operis intuitu artem, sapientiam, industriam potentiamque opificis agnoscendi, ac prædicandi. Prior modus rationalium est;

est; posterior irrationalium in quibuscunque ingeniosis opificijs & artibus quàm notissimus. Sic enim Dædalum sculpturæ, Zeuxem, & Apellem picturæ, alios alia, commendant.

Eodem † debito omnis creatura DEO creatori suo est obligata, ut dignis ipsum laudibus concelebret. Duo verò creaturarum genera sapientissimus mundi opifex condidit. 1. *rationalium*, quæ sunt Angeli & homines. 2. *non-rationalium*; quæ cœteræ omnes. Utrisq; incumbit debitum laudandi creatorem; qui omnia in laudem & gloriam suam, adeoque propter semetipsum fecit *Proverb.* 16. *v.* 4. ideò non saltem ad rationales creaturas frequentia passim extant mandata, & exhortationes, quibus illæ DEUM ex officio celebrare jubentur. *Psal.* 103. *v.* 1. 2. 20. *& alibi.* Verum etjam in laudem DEI excitantur creaturæ irrationales, imò inanimatæ; *Psal.* 96. *v.* 11. 12. *Lætentur cœli & exultet terra, commoveatur mare & plenitudo ejus; exultent campi, & omnia quæ in eis sunt, jubilent omnia ligna sylvarum* Psal. 69. v. 35. *Laudent DEUM cœli & terra; maria & omne repens in eis.* Psal. 148. v. 3. & sqq. *Sol, Luna, Stellæ, cœli, aquæ supra-cœlestes, Dracones, Voragines, ignis, grando,* 23.

grando, nix, vapor, ventus, montes, colles, lignum fructiferum, cedri, bestiæ, reptilia, aves laudent nomen Domini Psal. 19. v. 1. *Cœli enarrant gloriam DEI, & opus manuum ejus annunciat firmamentum*, Hab. 3. v. 3. *operuit cœlos gloria Domini, & laudu ejus plena est terra.* Exhortationes illas & mandata non esse nudos sonos, atque lusus, nec inanes προσωποποιίας quibus nihil solidi, ac veri subsit, sed proprium quoq; sensum comprehendere, credo nemini, & ne Photinianis quidem, esse dubium. Attendamus verò, quomodo cœli terra & quæ in eis (irrationalia) laudent Dominum. Efficienter non valent: destituuntur quippe notitiâ sui, multoq; magis creatoris, nec aptanata, quæ vel intra se DEUM magnificiant, vel ore, aut sono laudem creatoris sui amplificent. Laudant tamen: quomodo? utiq; objectivè, quatenus hominem peripsarum intuitum in celebrationem, atque sic etiam notitiam opificis vocant, imò rapiunt; modum enim alium nemo dabit. Concluditur proinde infallibiliter, creaturas, dum ab hominibus conspiciuntur, Dei, eiusque magnificentiæ, sapientiæ, potentiæ notitiam in illorum mentibus excitare.

24. IV. Quia † Photiniani naturalem

DEI

DEI notitiam fatentur, ac docent. *Smalc.* cont. D. Frantz. Disput. post. 8. pag. 424. *Præter revelationem divinam, datur etiam cognitio eorum, quæ ad Dei voluntatem pertinent, ex ipsa naturæ & rectæ rationis luce, quæ etiamsi non sit par ei, quæ per revelationem contingit: non est tamen per se mala, sed igniculus quidam flammæ istius ingentis, revelationis scil.* Huic confessioni adde istam: Inter alia quæ de essentia divina ad adipiscendam salutem necessaria dicunt adversarij, æternitatem illius numerant: de hujus verò notitia sic differit *Smalcius* cont. D. Frantz. disp. 1. pag. 12. *Deum ab æterno esse, etiamsi quo ad literam nusquam fortasse scriptum extet; ita docet* RATIO *ipsa, ut nisi æternus sit, Deus etiam esse nequeat, nempè summus.* Quibus in verbis noto; 1. Quod cognitio æternitatis sit pars notitiæ essentiæ Dei, & quidem ad salutem necessaria, ut undecunq; petitur notitia æternitatis Dei, ex eo principio Deus aliquatenus innotescat. 2. Quicquid dictat, aut docet, Deum non esse Deum, nisi sit æternus, id potest de Deo ita judicare, ut sciat, quid illi cõveniat: quid nõ conveniat: quod verò tali judicio pollet, id non levi Dei notitiâ est instructum. Hinc argumẽtor. 1. Quicquid per se, & ex principio interno scit, DEUM non posse Deum esse, nisi sit æternus, id natura-

lem & intrinsecam, nec saltem forinsecus suggestam Dei notitiam habet. Ratio ex principio interno & per se scit, Deum esse æternum: ergò ratio habet naturalem & intrinsecam Dei notitiam. 2. Quicunque novit judicare de Deo, quòd necessariò sit æternus, idq; judicium non nisi ex intrinsecâ & naturali suggestione petit, is notitiam Dei in se habet naturalem, & quoad τὸ ὅτι quòd sit; & quo ad idiomata: Sed ratio novit judicare de Deo, quòd necessariò sit æternus, idq; judicium ex intrinseca & naturali suggestione petit. Ergò ratio in se habet naturalem DEI notitiam quoad τὸ ὅτι & idiomata.

OBJECTIONES.

25. Quæ † adversus naturalem Dei notitiam jam prolatam & demonstratam objiciunt Adversarij, duûm sunt generum: vel enim ex scripturæ locis, vel rationum consequentijs ea depromunt, quæ ordine videbimus.

I.

26. 1. Cor. 2. v. 14. † *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* Ergo. &c. *Catechis. Racov. pag. 22.*

Resp.

RESP. † ambiguitas est in termino *quæ sunt Spiritus Dei.* Talia enim hic dicuntur, quæ Apostoli prædicatione Evangelij per orbem disseminabant: Quæ Sapientiam Dei in mysterio absconditam. *v.* 7. & futuram gloriam filiorum Dei *v.* 9. dicit. Et, *v.* 15. allegatione *Esaiæ cap.* 40. *v.* 13. 14. se de speciali Dei voluntate loqui testatur. Probandum ergò; confusam, quam dixi notitiam, comprehendi sub ijs, *quæ sunt Spiritus Dei.* Enervat verò Catechismus ipse hanc consequentiam: addens; *per ea vero* (quæ sunt Spiritus Dei) *intelligit de quibus paulò superius egit v.* 9. *&* 10. *quæ oculus nõ vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ Dominus præparavit diligentibus se; & nobis revelavit per spiritum suum: quod de immortalitate & vita ad eam tendente accipi, res ipsa apertè monet.* His, inquam, verbis, consequentiam suam enervat autor Catech: Controvertitur enim de rudi & aliquali Dei notitiâ: argumentum loquitur de cognitione perfectâ, nec Dei saltem, sed etiam futuræ gloriæ: Fallit ergò sophismate παρὰ τὴν τῆς ἐλέγχου ἄγνοιαν, & terminos multiplicando consequentiam solvit. 27.

II.

Psal. 14. *v.* 1. † *Dixit insipiens in corde suo, non* 28.

non est Deus. Ergo &c. *Socinus prælect. Theolog. cap. 2. pag. 3.*

29. Resp. 1. † A Dei negatione ad tollendam illius notitiam prorsus nulla est consequentia. Si enim factis & in corde negant, qui ore profitentur, se illum nosse, ac venerari. *Tit. 1. v. 16.* & verò professio præsupponit notitiam: Sequitur, eos etiam Deum corde & factis negare, qui illum cognoscunt. 2. Phrasis attendenda, quæ etiam vulgo nota; Deum *in corde negant*, qui talia perpetrant facinora, quæ nunquam essent commissuri, si verè Deum timerent, ac reverentur. *Psal. 94. v. 7. Syr. 23. v. 25. sq.* atq; tales sunt etiam in populo Dei & Ecclesia, *Ps. 94. v. 7. Psal. 10. v. 11. Psal. 106. v. 21.* qui tamen ita simpliciter & absolutè Deum nescire non possunt. Committitur ergò fallacia phraseωs, cuius scopus non est Dei notitiam, sed eius verum timorem & debitam reverentiam negare. 3. Testatur hic ipse Psalmus; insipientes istos, qui Deum negant, *timore timere illum, quoniam Deus est in generatione justi, v. 5.* quem verò conscientia excruciare solet, ut iniquitates & facinora sua considerans Deum judicem agnoscat, ac metuat, is utique Dei notitiâ absolutè non destituitur. 4. Notat Psalmus insipientes vel eos, qui *in populo Israel* vivebant prophani,

ni, Deum parum aut nihil curantes, vel populos *gentiles* exteros. Sin illos, quomodo potuerunt carere notitiâ DEI, & quidem adeò omni, ut ne quidem sciverint, an sit aliquis Deus? cùm à prima infantiâ fuerint de Deo docti. Sin hos; sive Chananæos dicas, Israeli propinquos, sive Chaldæos, & Assyrios remotiores, sive quoscunque alios, quibus unquam cum Israele sive bellum, sive commercium fuit, quiq; dici possunt devorare populum Domini: omnes omninò coluerunt numina: neq; tales insipientes unquam nobis monstrabunt Photiniani, quod tamen facere tenentur, ni aut Socinianam argumentationē improbarint, aut Davidem de impijs nusquam Israelem affligentibus locutum, absurdè dixerint.

III.

Quod † si divinitatis opinio cunctis naturâ- 30.
lu esset, certè ea non esset ex fide: atqui ex fide eam esse apertè docet Epist. ad Hebr. cap. 11. v. 6. cum ait: sine fide neminem Deo placere posse: Nam accedentem ad Deum credere oportere, quòd Deus sit. Socin. prælect. cap. 2. pag. 3.

RESP. 1. † Non possunt argumenti pro- 31.
positionem cœteris suis dogmatibus salvis, tueri Photiniani, qualiter enim æternitatem Dei & fidei essentialem faciant & per solam

ratio-

rationem ac naturam innotescere dicâni, modò vidimus. Quare sub majore Sociniana, *Quicquid naturale est, id de fide non est*, minorem Smalcianam assumens talem. *At: Deum esse æternum, naturale est:* concludo: *Ergò, Deum esse æternum, de fide non est.* Quomodo hic nodus solvendus, & Smalcius conciliandus Socino, deliberent. 2. Sunt quædam fidei necessaria, quæ tamen suo modo etiam rationi patêt; cuius generis sunt *creatio*, & divina *providentia Act.* 14. *v.* 17. quibusvis sanioribus Philosophis per rationis discursum cognita. Isthæc igitur oppositio *naturaliter cogniti*, & *fide apprehensi*, adeò stricta non est, ut eam facit Socinus: Consequentiam proinde majoris omninò nego. 3. Vox seu terminus, *nosse, quòd sit Deus*, ambiguus; vel enim strictè significat notitiam ὅτι; vel latius, quicquid de essentia illius scire est necessarium. Atqui, Epistolam ad Hebræos allegato loco uti latiore significatu, argumento est; quòd accedenti ad Deum non sufficit scire, Deum esse, & remuneratorem bonorum; (aliâs cuiq; gentili & infideli, in cuius corde ista reperiuntur scripta, aditus ad Deum pateret: & quinque illa posteriora capita, quæ *Osiorod. Instit. cap. 3. pag. 24. & Catech. Racov. pag. 26.* ad salutem

lutem prorsus necessaria dicunt, necessaria non essent) Ergò per *esse Deum*, notatur non nuda τὸ ὅτι, sed plenior, & saluti sufficiens essentiæ Dei notitia, uti per *remuneratorem esse*, cognitio beneficæ voluntatis generalis pariter & specialis. Quæ capita naturâ non esse sufficienter nota, in formatione status præoccupatum est. Tota igitur probationis vis negat notitiam Dei, non quamcunque, sed perfectiorem, & salutiferam; cùm de rudiore duntaxat, & ad salutem prorsus insufficiente sit quæstio: unde rursum terminorum quaternitas. 4. Quòd sit *Deus*, est generale quoddam fidei præsuppositum, partim in naturâ, partim in scripturâ fundatum; quod, quatenus ex naturâ cognoscitur, scientiæ, quatenus ex scripturâ petitur, fidei sit objectum, & hactenus infirmatur consequentiæ nervus, & minor simpliciter vera non esse, arguitur.

IV.

DEUS† ab initio sese manifestavit hominibus, Ergò semper notus fuit per revelationē. 32.

Osterod. Instit. cap. 1. pag. 10. Quod argumentum

tum *Socinus prælect. Theolog. cap. 2. pag. 3.* his verbis proponit. *Animadvertendum erat, ab ipso initio, cum homo creatus fuit,* DEUM *se illi patefeciſſe, qui primus homo cum nongentis triginta annis vixerit, poſteros ſuos facilè divinitatis opinione imbuere potuit. Quanquam hac re opus non erat, cum ipſe* DEUS *non primo homini tantum, ſed alijs ſubinde ex eo natis ſeſe variis rationibus patefecerit, quemadmodum ex S. hiſtoriâ clarè liquet.*

33. Resp. †1. Concedimus utique; inde ab exordio mundi Deum ſe manifeſtaſſe hominibus; nam & in V. T. πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως *Hebr. 1. v. 1.* per verbum & Prophetias; per ſomnia & viſiones &c. in N. per doctrinam Chriſti & Apoſtolorum, per miracula; per lectionem Moyſis, ac Prophetarum &c. DEUS innotuit; nec tamen in diverſis notitiæ modis, ac medijs ullâ eſt repugnantia, nec modus unus alterum protinus tollit, aut excludit. Ergò fallaci conſequentiâ ducitur argumentatio, â poſitione revelationis, ad negationem naturalis inſcriptionis: quarum unius incluſio nullo modo eſt alterius excluſio. 2. Quamvis Deus ab initio primis populorum, ac gentium fundatoribus, & ceu ſtirpibus ſeſe revelarit, ab his tamen ad inſecutos populos nulla eſt conſequentia; ſiquidem verbum

bum revelatum contemtui habitum sensim defecit, ac tandem penitus evanuit. Exempla in Sole sunt posita; populi Judaici, Ecclesiarum Orientalium illustrissimarum, Ecclesiæ Romanæ: quibus Americanos adde quondam omni veri DEI notitiâ destitutos, (si vera narrant Ostorodus & Socinus) de quo jam mox videbimus. Summa: DEUS quidem se revelavit patribus; at ista revelatio evanuit in filijs. Quare Socinus imperitè argumentatur DEUS se revelavit patribus, & gentium ac populorum stirpibus, ergò hæc revelatio perpetuò est in populis conservata. 3. Si verò Ostorodus censeat, ubi probatum fuerit, notitiam DEI ex antiquis patribus, per revelationem institutis *potuisse* ad posteros promanasse, protinus notitiam naturalem dubiam futuram esse; sciat; mulrò firmius sacras literas naturalem DEI notitiam probare, quàm, ut ex leviſſimo illo momento aliquid hauriamus dubij, & Theologiam Photinianam, quævis certissima ambigua reddere tentantem, secuti dicamus: FORSAN posteri Chami: Japheti &c. ex parentibus suis, adeoq; per revelationem didicerunt, quæ de DEO cognoscunt.

V.

Si † DEI notitia naturâ ineſſet, utiq; apud 34.

omnes homines inveniretur. Falsum prius, ergò & posterius. Consequentia probatur; quia quæ naturalia sunt, necessaria sunt. Minor apertè constat, quia idiotæ, & eruditi DEUM negantes reperti fuêre Ostorod. Inst. cap. 1. pag. 10.

35. Resp. † 1. Repeto huc ante omnia distinctionem superius allatam notitiæ insitæ & acquisitæ. Acquisitam si impugnat adversarius, nego majorem simpliciter: Sic enim notitia isthæc naturaliter inest, quemadmodum Astronomia, Geometria, Physica, Metaphysica & cæterę disciplinę, quas citra divinam revelationem, per connata principia, & his conjunctum studium homo invenit, expolit, addiscit. 2. Si verò de innatâ contenditur; concedo quidem majorem, dupliciter tamen limitatam; ut intelligatur 1. *de ijs, quæ insunt per se.* Quicquid totius est naturæ *(per se)* id omni individuo inest *(per se.)* Quo posito, minor falsa est: Nam, licet notitia DEI insita omni homini per se insit, in nonnullis tamen potest non inveniri, scili: *per accidens.* Quemadmodum natura humana per se congruam habet omnium membrorum corporis dispositionem, sensus quinque externos, & præter internos etiam intellectum. Unde ergò mutili claudi, cœci, surdi &c. utiq; defectus isti accidentales sunt, quantumvis

vis eorum oppositus habitus omni singulari per se insit. 2. *De actu primo.* Ubicunq; facultas est, ibi actus quidam est primus, ipsamet scil. facultas, cujusmodi visiva, intellectiva &c. quas etiam in cœcis, morionibus, ac mente motis reperire est: Ex hoc actus secundus enascitur nimirum facultatis operatio, quæ non omnium eorum est, qui facultatem habent naturalem, ut, vel cœci, vel surdi, exemplo suo testantur. Idem nunc de naturali DEI notitiâ sentiendum, quam per se & actu primo omni inesse individuo, probatum est; nec diversum monstrabitur. Quid verò mirum, non in omni individuo actum secundum esse conspicuum? Cum is per accidentia, naturalem scil. peccati originalis repugnantiam 1. *Cor.* 2. *v.* 14. *Gal* 5. *v.* 17. per ignorantiam malitiosam, & adscititiam, nec non Diabolicam excœcationem. 2. *Cor.* 4. *v.* 4. intercipiatur & obscuretur, ut IMPIUS dicat, non est DEUS. *Psal.* 14. *v.* 1. 3. fallit insuper consequentia per sophisma causæ. Negatio quippe DEI non ex ejus ignorantiâ præcise fluit, teste Paulo de hominibus prophanis licet nomen Christi profeiis, quòd, cùm confiteantur DEUM, factis negent. *Tit.* 1. *v.* 16. Idemque testantur exempla eorum, qui, cùm vixerint inter homines, DEUM

colentes & multa de DEO ab alijs audierint, ut illis, si non aliunde, attamen per institutionem DEUS innotescere potuerit, nihilòminus Deum non modò non agnoverunt, sed docentibus contradicentes illum negarunt. Quis verò hic ignorantiam puram, atque simplicem accuset, & non potius malitiosam, qua quis id, quod audit, ac novit, non vult nosse. Ergò causa negati DEI non est ejus ignorantia, sed scientium malitiosa repugnantia.

VI.

36. *Ad† quoscunque revelatio DEI non pervenit, in ijs ne opinio quidem aliqua, suspicio aut sensus divinitatis, super est:* Cujus exemplum præbuêre Brasiliani in Occidentali orbe. Ergò ex sola revelatione cognoscitur DEUS. *Socin. prælect. cap. 2. pag. 4.* Qui idem autor hac de re *lib. de author. script. cap. 2. pag. 46.* ita scribit: *Cum religio res naturalis nequaquam sit, (ali qui non inveniretur nationes omni prorsus religione carentes, quales nostrâ ætate quibusdam in locis inventæ sunt, ac nominatim in regione Brasilia, quemadmodum testantur scriptores digni, quibus habeatur fides, mihiq; constanter affirmavit Pisto-*

rensis

enſis quidam Monachus Franciſcanus concionator ex ijs, quos Scapuccinos vulgò vocant, homo honeſto loco natus, prudens admodum, ac cordatus, qui in ea regione fuerat) cùm inquam religio nequaquam res naturalis ſit, ſed, ſi vera eſt, patefactio ſit quædam divina &c.

RESP. † Antecedens luculenta probatione indiget, quod Socinus, ſcriptores fide dignos teſtes vocans, nullum tamen allegans, unius viri narratione comprobat, (& quidem viri à fide ac Religione, ab ordine & conditione ſua probè commendati, cui in re ſeriâ aut fidei non facilè vir cordatus fidem adhibebit;) quamvis diverſum oſtendant omnes gentes, quarum nulla, Ethnicis quoque teſtantibus, oſtendi poſſit, quam non aliqua de DEO opinio imbuerit, diverſum etiam probent monumenta ſcriptorum diverſorum fide digna. Etenim *Johannes Lerius, hiſtor. navig. in Braſil. cap. 16.* tenuem fuiſſe, ait, DEI apud Indos cognitionem, *aliquam* tamen ſe exerere ſcribit; ſiquidem animæ immortalitatem, corporum reſurrectionem, pietatis, & fortitudinis retributionem, malitiæ pœnas poſt hanc vitam expectent; tonitrua metuant, congreſſus triennales inſtituant, quibus 37.

mortem cognatorum deplorent, at, spe resurrectionis se rursum consolentur; hostibus verò exitium minentur; Prophetas & sacerdotes, *Canibes* dictos, alant; & summatim scribit, *licet Americani nostri ore DEUM non confiteantur, apud seipsos convincuntur esse aliquam divinitatem. Hieronymus Benzo lib. 1. de Indijs occidentalibus cap. 26. pag. III.* sic de Indianis disserit: *Quod ad religionem earum gentium attinet, non solum in ea insula, sed & in alijs omnibus novi illius Orbis provinciis, adorabant, atque etiam nunc plures & diversos DEOS colunt, depictis simulacris signisq;, quorum alia ê creta, alia ê ligno, nonnulla ex auro & argento ficta sunt: & quibusdam Indiæ novæ locis, maximè in Peruano regno, effigie avium, tigrium, cervorum aliorumq; animalium expressi vidi: immo etiam quædam deformi specie, cauda ad pedes usq; promissa, quales vulgò apud nos pingi solent dæmones aut lemures nocturni: Ac quanquam sacerdotes & monachi omni ope conati sint & cotidiè conentur ea idola abolere, multa tamen eorum sacrorum antistites, defossa specubus subterraneis asservant. Quibus clàm sacrificantes*

ficantes assiduè supplicant, petuntq; qua ratione & via Christianos in perpetuum è suis finibus expellere possint. Quin etiam Deorum suorum nomine quemcunque proprio invocantes, singulis sua officia tribuunt, & huic hujus rei, alteri alterius procurationem, assignant: uti olim factatum Ethnicis, qui vulgò victorijs præesse terra Martem, mari Neptunum: Æsculapium medicinæ, Herculem divitiarum atque opum arbitrum esse credebant, illiq; decimam fortunarum suarum vovebant, quo cætera tueretur, atque augeret. Ad eum modum nihil ferè à suis numinibus petunt hæ gentes præter largam ciborum & potus copiam, bonam valetudinem & de hostibus victoriam. Item pag. 114. Duo simulacra lignea colebant, velut omnis abundantiæ largitores & præsides DEOS, quorum delubra quotannis Indi peregrinabundi frequentare consueverant. Erat insuper illis Idolum quadrupes instar canis, quod (ut fertur) quoties illi bilis commota erat, in saltus ac montes aufugeret: ipsi verò sollenni pompa, solicitè quæsitum atq; inventum, humeris

in fanum reportabant. Capiti octavo istius libri subjicitur, *pag.* 33. declaratio ejus oraculi, cujus mentio prius facta fuerat, eaque talis, per quam intelligatur, consueviſſe populos iſtos conſulere numina, quæ dixerunt *Zemes*. Quæ omnia cuivis perſuadent, Americanos omninò quandam DEI notitiam habuiſſe, & Scapuccinum illum *fide Scapuccina* ac verè *pontificiâ* univerſalem iſtam DEI ignorantiam Socino narraſſe.

Er-

ERROR II.

Ad æternam salutem consequendam sufficit; quantum ad essentiam, de DEO scire. 1. quòd sit DEUS. 2. quòd unus. 3. æternus. 4. perfectè justus. 5. perfectè sapiens. 6. perfectè potens.

NEmini † potest esse dubiũ, Christiano homini nudam divinæ voluntatis notitiam non sufficere; sed ipsius quoq; *essentiæ*: de qua *Joh.* 17. *v.* 3. Salvator ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*: cognitionem necessariam esse. 1.

Ut † verò essentia DEI, quantum ad salutem opus est, sufficienter innotescat, scire oportet, 1. τὸ ὅτι, quòd sit DEUS. 2. Unitatem. 3. Æternitatem. 4. Justitiam. 5. Sapientiam. 6. Potentiam. Non potest igitur in controversiam venire, *an sex horum capitum notitia sit necessaria?* id namque & nos ultrò largimur. 2.

Est † autem quæstionis: *anne capita notata* 3.

rata necessariam essentiæ divinæ notitiam penitus absolvant; an verò præter illa, alia quoque, quæ ita oporteat habere cognita, ut cum æternæ salutis periculo ignorentur?

4. PRIUS† quæsiti membrum à Photinianis asseritur. Sic enim *Catech. Racov. pag.* 25. 26. quæstioni: *quænam sunt, quæ ad essentiam pertinent, ad salutem prorsus necessaria?* Respondet. Sunt ea: *quòd Deus sit, quòd sit tantum unus, quòd æternus, quòd perfectè justus, perfectè sapiens & perfectè potens*: plura utiq; additurus, si plura necessaria judicasset. Et *Ostorod. Instit. cap.* 3. *pag.* 28. *præter hæc* (sex enumerata capita) *nihil aliud scimus cognitu necessarium, quantum essentiam DEI attinet.*

EXAMEN.

5. In† dubium non vocatur; quæ allegant Photiniani; de Deo sciri oportere: uti sum protestatus: horum verò sufficientiam in dubium non immeritò vocamus, asserentes, præter eorum notitiam pluribus etiam opus esse, adeoque posterius quæsiti membrum necessariò asserendum.

1. Quia

I. Quia † notitia DEI salutifera 6.
multò est perfectior gentili & Ethnicâ. Probationem huius thesεως credo apud omnes nomen Christi professos esse superfluam, quòd sciant, gentes, quantum ad notitiam salutarem, de DEO nihil audivisse *Rom.* 10. *vers.* 14. vixisse ignorantiæ tempora. *Act.* 17. *vers.* 30. & sine DEO *Ephes.* 2. *vers.* 12. de quo Paulum testantem suprà audivimus. Propositionem ex his formo eam: *Notitia divinæ essentiæ, quousq; gentilibus cognita, non est salutaris illa, quam profitentur soli Christiani.* Subsumo: sex capita; quæ pro divinæ οὐσίας cognitione Photinianis sufficiunt, gentibus fuerunt nota. Negari enim non potest 1. τὸ ὅτι apud illas fuisse extra dubium, idque præcedentis erroris examen obtinuit. 2. Et quidem saniores DEUM credidisse *unum*, ex scriptis Philosophorum & quorundam Poetarum est quàm notissimum. 3. *Æternitas.* 4. *Potentia*, adde 5. & *Sapientia* cognitæ fuerunt ex opere creationis. *Rom.* 1. *vers.* 20. 6. *Justitiam* dictabant cogitationes sese accusantes & defendentes

Rom. 2.

Rom. 1. v. 15. de quibus itidem in præcedentibus. Ut interim taceam, ex scriptis gentilium constare, quòd Deum unum, æternum, perfectè potentem, sapientem & justum crediderint. Ergò notitia Dei sola sex dicta capita complectens, non est salutaris illa, quam habent & profitentur soli Christiani.

7. 2. Quia † salutifera Dei notitia cum Idolomania Ethnica consistere non potest, ideoque necesse habet scire: Quis sit unus ille Deus. Etenim cultus Dei verus, ac sincerus eam præsupponit Dei notitiam, qua ipsum cum Idololatriâ Ethnicâ, aut hæreticorum cultibus nihil quicquam sinit habere commercij. Si verò præter sex recensita capita de essentiâ Dei nihil scire opus est, utiq; notitia Dei cum impiorum cultibus, & Idolomaniâ gentili ita consistet, ut vel ignoto, vel falso, ac fictitio Deo servire patiatur.

8. Certè; † Duo sunt quæ Ethnicam abominationem generarunt. 1. *Veri Dei ignorantia.* Probavi superius, Deum & quoad τὸ ὅτι, & quoad essentiam, seu quædam idiomata (imperfectius licet) gentibus, revelatione non utentibus per naturam fuisse cognitum. Dum igitur ipsos ignorantiæ

reos

reos ago, non respicio ad quæstionem. τί, *quid?* Sed τίς *quis* sit Deus? Athenienses colebant Deum verum creatorem cœli & terræ: eundem scil. quem annunciabat Paulus; nihilominus, quia notitia ipsorum (omnem licet Photinianam de Deo scientiam complexa) non assequebatur QUEM Deum colerent, cultus quoq; vanus ac falsus extitit, quem vel ideò Paulus superstitionem appellat. *Act.* 17. *v.* 23. Ita in navi Jonæ eodem defectu cultus Ethnicus laborare conspicitur. Exortâ enim tempestate, Deum invocabant maris Dominum, quicunq; in navi erant, minimè in eo dissentientes, quòd sit aliquis Deus: quòd unus, æternus, justus, sapiens, potens; multum tamen in eo variantes, quòd Deum illum alius Neptunum putabat, alius quem alium: Jonas Jehovam: Quisq; enim SUUM Deum implorabat. Nauclerus, QUIS verus Deus, se ignorare profitetur, inquiens: *Clama ad Deum* TUUM, *si fortè Deus placeatur nobis. Jon.* 1. *v.* 6. Ita factum, ut gentes Deum (opinione Photinianâ) sufficienter agnoscentes, sine Deo essent in mundo *Eph* 2. *v.* 12. nec de Deo quoquam audiverint *Rom.* 10. *vers.* 14. Quod evidenter satis arguit, salutiferam Dei notitiam plura etiam postulare, quàm concedunt adversarij.

2. *Falsi*

9. 2. *Falsi† Dei fictio.* Peperit ignorantia ista primum lapsum Israelis ex Ægypto egressi: qui, cùm præsumeret verum Deum, à quo ex durissima servitute in gratam libertatem vindicatus erat, colere, vitulum erexit; non nescius omnium doctrinarum, quas Photiniani, quantum ad essentiam Dei, sufficientes dicunt. Detestanda hæc erat, & Idololatrica novi, & alieni Dei efformatio; oriunda ex ignorantiâ, iste nè vitulus an qui in Sina legem modò tulerat Jehova invisibilis, esset ille verus Deus? *Exod.* 32. *v.* 4. *seqq.* Progenuit eadem ignorantia Idololatriam Israeliticam, sub Achabo tempore Eliæ. Constitutum tunc erat Iudaico populo, unum, verum, æternum, &c. Deum colere; at; is intentionem cultus referens ad *Baal* (quasi ille alius quispiam Deus esset à Jehova, quem colebat Elias) & in capitali quæstione Quis? errando in Idololatriam est prolapsus 1. *Reg.* 18. *v.* 21. *seqq.* Inter gentes eadem falsi cultus causa extitit; quòd, cùm Deum ratione essentiæ cognorint, quia tamen quis ille Deus? nescierunt; mutarunt Dei gloriam in gloriam hominum, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium (quando vel Jovem, vel Solem, vel hominem, vel quid aliud Deum illum esse puta-

putarunt, quem tamen unum, æternum, justum, sapientem, potentem, natura illos docebat, *Rom.* I. *v.* 23.) Pone jam hominem Christianum, qui sciat, esse Deum, eumque unum, æternum, justum, potentem, sapientem: præter hæc verò de essentia Dei nihil: Et responde, *an non is, salvâ Dei notitiâ revelatâ, superstitioni Atticæ deditus ignoto Deo servire posset?* Annon modo Idololatrico & gētili tàm facilè Baalem, vel Jovem, vel Solem, vel cum Ægyptijs hircum, aut cœpam, quàm Dominum *Jehova* venerari posit? Quod certè, nî animus ac intentio colentis plenissimè definiat, ille protinus idololatriam commiserit. At; quàm diu salutaris cognitio Dei, sex illorum capitum angustijs coercetur, & cogitur, definiri non potest; Ergò idololatria committitur, & hactenus cultus Deo abominandus cum notitiâ Dei Christianorum propriâ facilè consistet. Quod absurdum ne incurramus, assignatæ notitiæ disertam ac directam decisionem quæstionis, *quis Deus?* adjicere oportet.

III. Quia † recta & salutifera Dei notitia, requirit cognitionem FILII DEI. 10.

Quare sic argumentor: Vera & Christiana Dei notitia parit salutem. *Johan.* 17. *v.* 3. sed notitia ita cognoscens Deum, ut interim nesciat

nescíat filium; salutem non parit. Quia nescíens filium utiq; filium non habet. Qui verò filium non habet, neq; habebit patrem. 1. *Johan.* 2. *v.* 23. Imò nec vitæ potest esse particeps. 1. *Johan.* 5. *v.* 11. Ergò cognitio Dei non complexa notitiam filij, vera & salutifera non est. Talis est Photiniana, Ergò eadem quoque salutifera rectè negatur. Concluditur: *ergo sex capita à Photinianis recensita ad notitiam essentiæ Dei necessariam, & salutarem non sufficiunt.*

CAP. III.

CAPUT. III.

De NOMINIBUS DEI.

CIrca DEI nomina hoc unum ſtudio ſummo agunt Photiniani, ut caveant, ne illa filio DEI, & Spiritui ſancto attributa veram illorum Deitatem concludant, ac doceant. Cùm verò inficias ire nequeant, de duabus iſtis ſanctæ τριάδος perſonis nomina DEO aliâs convenientia, ſubinde in ſcriptura efferri: huc manibus pedibusq; laborant, ut obtineant, ſi maximè DEI nomina cuidam perſonę competant, inde tamen non ſequi, eſſe eam ſummum illum, & æternũ DEUM: quod eſt propoſitionem argumentationis noſtræ infringere. Quem in finem non modò corradunt exempla varia, tales perſonas, DEUM, Dominum &c. appellantia, de quibus dubiũ fieri nequit, quòd non ſint verus ille, ſummus & æternus DEUS: ſed etiam nomina legantis cõpetere Legato, & hoc, vel illud nomẽ eſſe notam; non eſſentię divinæ, quæ incommunicabilis, ſed poteſtatis, vel officij, quòd in

alios essentiam divinam non habentes cadere possit. Hinc errores primarios quos Photiniani circa Dei nomina hactenus prodiderunt, numero quinque.

Error I.

Ut Legatus nomen, & personam mittentis gerit, sic Jehova interdū dicitur is, qui, ceu legatus, vicem Dei sustinet.

1. Hoc † ut asserant Adversarij, duplici caussâ ducuntur. Una quidē, ut nomē Jehova non soli æterno Deo convenire, adeoq; Christo tributum veram ejus divinitatē non probare, doceant. Altera; ut generatim quævis argumenta Deitatē Christi stabilientia ex nominib9 Deo soli competētibus ducta eludant, ut suo loco patebit luculentius.

2. Sic † autem *Eniedinus* ad locū Gen. 16. v. 13. *Illud igitur, hūc angelū, diversum & aliū fuisse â DEO mittente, & legante ipsum, si essentiā, & naturā spectemus, libenter concedimus, & ultrò fatemur. At, si officium, & legati propriū spectemus, nō temerè hoc concedendū est. Scimus enim nuncium, & legatū non tantùm nomen legantis, verùm etiam personā sustinere, adeò, ut quæ loquatur, & quæ patiatur, nō legatus, sed is, qui eū legavit; loqui, & pati dicatur. Atq; hoc modo legans, & legatus, non erunt diversi, sed prorsus*

unus

unus & idem pag. 24. *Idē* ad locū Gen. 32. v. 24. *Legatus non alterius sed ejus ipsius, à quo legatur, personā gerit. Quare clarum est, hic angelū dici Deum, quia DEI patris erat legatus* pag. 37. *Idem* ad locū Exod. 3. v. 6. *Ostensum est, legatum legantis nomē, & personam sustinere. Non ergò mirum est, si titulum Domini sui gerat, & habeat servus.* pag. 44. *Socinus* cont. Wieck. cap. 3. pag. 59. *Loquendo contra angelum, contra ipsum Jehovam loquebantur:* (Israelitæ) *non quòd ille angelus esset revera ipse Jehova, ille unus Deus Israëlis; sed, quòd ejus legatus esset, ejusq; personā sustineret.* c. 6. class. 4. arg. 2. pag. 396. *Si Angeli ipsi multò Christo inferiores, cum Jehovæ personam aliqua in re sustinent, Jehovæ nomine appellati inveniuntur; multò magis fieri potest, ut Christus, qui perpetuò in toto salutis nostræ negotio Jehovæ DEI personam sustinet, ipsiusq; perpetuus in Ecclesia vicarius est, Jehovæ nomine appelletur: nec tamen ipse sit revera Jehova, sive ejusdem cum ipso essentiæ.*

EXAMEN.

Nusquam † in controversiam venit, legatum vicem mittentis gerere, atq; personam ejus ita repræsentare, ut quæ legatus, quâ talis, fecerit, hoc mittēs fecisse, omninò statuatur. Neque etiam de eo dubitatur, legantis nomen suo quodam modo inesse legato; qui enim ab Imperatore Romano mittitur, *Imperatoris Romani* legatus appellatur. Et ejusmodi *obliqua attributione* Legatis nomē 3.

Dei nomen Jehovæ, competit, ut dicantur *Angelus-Jehovæ, â-Jehova missus &c.* neque nego *Exod.* 23. *v.* 21. (si modò de creato angelo res est) nomẽ Jehova esse in angelo; sed per modum prędicationis, vel *rectæ*, ut intelligatur angelus (increatus) esse ipse Jehova; vel *obliquæ*, ut dicatur angelus, non, Jehova, sed Jehovæ. Quæritur autem, an Legatis *directim*, & in casu (quem vocant) *recto*, nomẽ mittentis, & speciatim â Deo missis nomen ipsi proprium *Jehova*, vel *DEUS* competât? Affirmantes vidimus Photinianos, sed absq; adductis fundamentis, quæ bono jure ab illis postulamus. In negativam abeuntes, causas ex abundanti has reddimus.

4. I. Quia† nullo patitur loquendi modus, ut nomen legantis attribuatur legato directim. 1. Sive enim communem usum respicias, inauditum credo, legatũ Regis dici regem, Cæsaris cæsarem, Ducis ducẽ &c. multòq; minus legatum Rudolphi, ideò quia legatus, Rudolphũ, Matthiæ Matthiã, Sigismundi Sigismundum appellari. 2. Sive rei istius fundamentũ attẽdas; nemini potest esse obscurum, nomina ejusmodi officiorũ, quæ per individua cõplura nõ multiplicantur, esse incõmunicabilia: sic, quia unus est Romanus Imperator, unus Rex Galliarum, Poloniæ, &c. nomẽ istius officij in personas simul

simul plures sese diffundere, ijsq; communicare nō potest: multoq; minùs nomina personarū propria, quæ, adversarijs etiam definentibus, *uni soli competunt*, pluribꝰ possunt fieri cōmunia. Nullꝰ igitur loquendi modꝰ admittit, nomē legantis, cōmunicari legato.

II. Quia† idipsum non permittit 1. relatorum oppositio. 2. discrimē causæ principalis, & instrumentalis. 3. agentis primarij & secundarij. Quamcunq; relationē esse inter duo; eaq;, etiam, dum respectu mutuo ad invicem uniuntur, per eundem respectū abinvicem distingui, & quodammodo opponi, apud eruditos notūest, ac decantatū. Dum ergò mittens, & legatus per quandam relationem uniuntur, per eandem sibi etiam opponuntur; ut quemadmodū pater â filio in ipsa etiam relatione sic distinguitur, ut neuter alteriꝰ nomen participare possit; sic non minus in ea relatione, quę leganti cum misso intercedit, salvam oportet consistere nominū differentiam; quòd istorum cōfusio necessariò confundat correlata. Et, quemadmodū per paternitatem, & filiationem arctius, pater & filius, quàm legans, & legatus per missionē sibi invicem uniuntur, attamen, ut mutuæ ipsorum relationi sua constet integritas, necesse est, genitum non dici patrem, neque 1. 5.

gignentem appellari filium, sed etiam nomina propria *præcisè ob hanc relationem* non confundi, (aliâs si historia quid referat de Abrahamo, ego intelligere possē de Isaaco, & vicissim, ideoq; sic summa miscerem imis) simili modo mittens, & missus sibi per relationē mutuam uniuntur: ut tamē in ipsa relatione relatorū sit distinctio, nec, vel mittēs missi, vel missus mittentis nomē assumat: & Cæsaris legatus nō dicarur Cæsar, nec Matthiæ (propter hanc præcisè causā) Matthias.

6. III. Quia † una eademq; actio utrique attributa adeò non facit nomina communia, ut ea potius distinguat. Præcipuum, si non unicum, quod Adversarios decipit, est una eademq; actio, legato & mittenti promiscuè attribui solita; huncq; suū morbū *Eniedinus* prodit, quando *pag.* 24. pro thesi stabilimēto ita disserit. *Eadē vox, & actio sæpè tùm DEO, tùm legato, seu Angelo tribuitur. Ut Luc. 1. ea quæ dixerat Maria Angelus, Elizabetha v. 45. Deo tribuit. Et ibidem cap. 2. cum Angelus pastores allocutus esset, & eis nativitatem Christi indicasset. v. 9. idē pastores v. 15. se hoc à Deo didicisse fatentur. Sic Act. 12. cum Angelus eduxisset Petrum ex carcere, ut scribitur v. 7. 8. tamen Petrus v. 17. se à DEO eductum asserit. Et Paulus Act. 27. ea, quæ ab Angelo audivit v. 23. DEO attribuit v. 25. Et ne plura congeram. Qui Apostolos recipit, Christum recipit. Qui Christum recipit, DEUM patrem recipit. Qui Prophetas & Apostolos sper-*

nit,

nit, DEUM spernit. Ex quibus, & similibus apparet, sæpè legatum, & legantem non tanquam duos diversos, sed ut unum individuum considerari & haberi.

Verum; † hæc 1. Adversarij institutū non confirmant: siquidē actionis communitas communitatē nominū non infert. Vix enim ulla est actio, in qua non plura concurrant agentia, eaq; ceu junctim sint instar unius causæ: Est enim (V. C. in motu hominis) causa *prima*, DEUS, est *secunda ut quæ*, Johannes, est causa *ut qua*, anima, est causa *secundaria* facultas animæ, est deniq; causa *organica*, nervus, musculus, pes &c. quæ omnes stant pro una, & junctæ unam totalem & sufficientem motus humani causam efficiunt; nec tamen nomina sunt communia. Deus non dicitur Johannes nec vicissim: non anima facultas animæ, neque nervus facultas motrix, &c. sic ex unitate actionis legantis & missi nulla prorsus nominum permixtio, aut communitas sequitur. Et, si omnia ab Eniedino producta loca expendantur; neq; per prædicationem, neque promiscuam nominum usurpationem Angelus dicitur DEUS; non magis atque Apostoli Christus, vel Christus (quod citra impietatem fieri, quis quæso diceret?) DEUS PATER appellatur. 7.

8. 2. Potius † autem ejusmodi unius actionis attributio nomina ut personas, mittentis, & missi distinguit: Quia fit *diverso respectu*. Sic enim argumentor: Nomina eorum, quibus actio una *diverso modo, ac respectu* tribuitur; non possunt esse communia, sed, ob modũ efferendi diversum, accuratè distinguuntur. De Deo dicitur, ipsum esse motꝰ nostri causam *Act.* 17. *v.* 28. idem affirmatur de anima: si jam non saltem nudum enunciatũ exprimatur, sed modi attributionis diversi vel adjiciantur, vel subintelligantur; evidenter colligitur; animã, ratione hujus actionis, nec esse, nec dici Deum: ubi enim, & quatenus in attribuendo, vel prædicando diversus obtinet de distinctis subjectis enunciandi modꝰ, illic subjecta diversificari, manibus palpatur. Atqui: quotiescunq; actio una de Legato, & legante enunciatur, semper modꝰ subintelligitur in attribuẽdo diversus: (ideò frequẽtissimus, & proprius loquẽdi modꝰ pronunciat mittentẽ edidisse effectus Per legatũ.) Nam ille causa est actionis secũdaria, & ceu organica, hic principalis. Ergò legatũ & legantẽ per ipsammet prædicationẽ distingui, necessum est. Et consequenter; quoties una actio tribuitur Deo, & Angelo; quia hoc fit modo, ac sensu alio, aliove, evidenter verum est, Deum & angelum per hanc unius actionis

nis attributionem diversam, non sumi pro uno, sed potius ab invicē accuratè distingui.

IV. Quia † non probatur nomina Deo propria propter legationem alijs attribui. 9. Tenent hîc Photiniani morem consvetum, ut multa dicant, nihil probent. Nomina Deo propria dicunt alijs fieri communia, qui nomine Dei legatione funguntur ad homines. Hæc nobis frequenter inculcant, cumprimis Eniedinus & Socinus; uterq; tamen probatione nudus. Quæ ex Mosi producuntur loca, non tàm probant, Angelos dici Jehova, quam Jehova angelum; quod luculenter demonstrant loca inspecta, quæ paulò pòst expendemus.

V. Quia † non omnis Dei Legatus, 10. DEUS vel dicitur, vel dici potest. Regula est Logica, eaq; firma & necessaria: *à QUATENUS ad OMNE firma est consequentia.* Quia homo liberum (in civilibus) habet arbitrium, *quatenus* rationalis, igitur *omne* rationale habet liberum arbitrium. Similiter; si Moses, si principes, &c. ideò dicuntur Dij, quia, & *quatenus* sunt Dei legati, sequitur; *omnem* Dei legatum Deum dici: aut; ubi hoc falsum esse, fuerit deprehensum; certè, si aliquis Dei legatus nomen mittentis non sortitur, sequetur; neminem Deum dici, QUATENUS est Dei legatus.

gatus. Antecedens autem facili labore probatur. *Moses & Aaron* legatione fungebantur in Egyptum missi; nec minus unus illorum, quàm alter. Moses autem Deus vocatur, Aaron Deus negatur, quod ἀντίθεσις illa DEI, & PROPHETÆ luculenter monstrat, *Exod. 7. v. 1. Dedite Deum Pharaoni, Aaron autem frater tuus erit Propheta tuus. cap 4. v. 16. Aaron tibi erit pro ore tuo, & tu eris ei pro Deo*: ut enim hoc in opere non erat Moses os, aut Propheta; sic neq; Aaron Deus. *Christus* est à patre missus; ergòne Christus dicendus erit Deus pater? quid absurdius? Omnes *Prophetæ* sunt legati Dei, ergò omnes illi, ac singuli vocandi Deus? *Apostoli* sunt legati Christi; num ergò Petrum, Johannem, &c. & singulos Apostolos Jesum Christum dicemus? *Creaturæ irrationales* mittuntur à Deo; locustæ, bruchi, &c. *Joel. 2. v. 25.* ignis, grando, fames, mors, dentes ferarum, scorpiones, serpentes, gladius. *Syr. 39. v 35. sq.* num ergò hæc omnia Dij? Concludo: *ergò nemo appellatur Deus ideò præcisè, Quatenus est Dei legatus.*

ER-

ERROR II.

Nomen JEHOVA ita est solius DEI, ut nihilominus, alijs quoq; extra Deum attribuatur, nec eum, cui competit, verum, ac summum Deum esse arguat.

DOminum † & Salvatorem nostrum JESUM CHRISTUM Verum Deum probaturi inter alia sic arguimus. Cuicunq; nomen soli & uni vero Deo proprium in sacra scriptura attribuitur, is omninò est verus Deus. Sed Christo nomen soli & uni Deo proprium, *Jehova* scilicet, in sacris literis attribuitur. Ergò Christus est verus ille Deus. 1.

Hîc † ut elabendi rimula adversarijs pateat, negare audent, nomen Jehova soli Deo esse proprium, quin alijs quoque extra Deum commune censent. Sic enim *Eniedinus* in Gen. 17. vers. 13. pag. 25. *Jehovæ nomen & appellatio non soli DEO creatori, verùm etiam multis rebus creatis attribuitur, sicut plurima testimonia ostendunt.* Ostorod. Cont. Trad. Part. 2. cap. 2. pag. 91. Wann man schon aus H. Schrifft bewei- 2.

beweisen könte/ daß Christus Jehova genennet würde/ so folgte doch nicht draus/ das er derhalben der Jehova warhafftig selber were: sintemal die Engel/ welche doch viel geringer sind/denn Christus/ wie sie die Person des Jehovæ getragen/oder auff ihnen gehabt/ auch Jehova genennet worden sind. *Etiamsi ex scriptura probari posset, Christum dictum esse Jehovam: non tamen sequeretur inde, eum ideò fore Jehovam ipsum; siquidem Angeli multò minores Christo quòd personam Jehovæ sustinuerunt, itidem Jehova sunt dicti.* Socinus Cont. Wieck. cap. 6 pag. 396. *Si Angeli ipsi multò Christo inferiores, cum Jehovæ personam aliquâ in re sustinent, Jehovæ nomine appellati inveniuntur; multò magis fieri potest, ut Christus, qui perpetuò in toto salutis nostræ negotio Jehovæ Dei personam sustinet, ipsiusq; perpetuus in Ecclesia vicarius est, Jehovæ nomine appelletur, nec tamen ipse sit revera Jehova, sive eiusdem cum ipso essentiæ.*

EXAMEN.

3. Nomina † Deo in scripturis tributa modò ex regimine ac Dominio Dei super creaturas; modò ab operibus, interdum aliunde ducuntur, ut inde multipliciter varient. Duo tamen sunt nomina propiùs Deum significantia in lingva Hebræa, & Græca sibi corre-

correspondentia; Unum *Jehova* V. T. proprium, cui in N. T. respondet κύριος, quamvis illa per usum Evangelicum, & Apostolicum fermè in appellativum nomen transierit: alterum *Elohim* appellativum, cui respondet græcum θεὸς. Quibus tamen addi potest tertium; *Adonai*, græcè κύριος. Hæc an, & quomodo Deo nostro summo, & unico creatori cœli & terræ conveniant, separatim dispiciendum. Et quod nomen *Jehova* attinet; vidimus, qualiter adversarij illud creatori cum creaturis commune faciant. Rectius autem hanc illis thesin opponimus. *Nomen Jehova soli creatori unicè competit, nulli prorsus creaturæ.* Quam sequentibus fundamentis stabilio.

I. Quia† nomen proprium (appellativo oppositum) non nisi uni convenit. 4.
Sic enim *proprium* Grammaticis dicitur, *quod uni soli rei convenit;* & verè dicitur. His autem duobus nominibus *Jehova* & *Elohim*, ut dixi, intercedit differentia, quòd illud proprium est, hoc appellativum. Constat id partim ex vocatione Mosis, ubi is inter alia quærit: *Ecce ego veniens ad filios Israel, dicam eis, Deus patrum vestrorum misit me ad vos; & dicent mihi, quod nomen eius? quid dicam ad eos?* Exod. 3. v. 13. partim ex συμπαράξει Eliæ cum Baalitis, in qua iste controversiæ

status

ſtatus agitabatur: *num Jehova, an Baal ſit Elohim?* 1. *Reg.* 18. *v.* 21. Quemadmodum igitur in quavis eminentia imperiali, regali, ducali &c. duo ſemper agnoſcimus nomina, quorum unum deſignat Quid? eſtque ipſius dignitatis nota; ut Imperator Romanus; Rex Hiſpaniarum; Dux, & Elector Saxoniæ &c. alterum explicat Quis? & perſonam dignitate iſta præditam deſignat. Unde quæſtioni: quis hodie eſt Imperator Romanus? quis dux & Elector Saxoniæ? Reſpondetur per nomen perſonæ proprium: Matthias, Johannes Georgius &c. Sic Deo quoq; duplex nomen tributum videmus; prius quidem divinæ majeſtatis Deus: alterum ceu perſonæ, quis nimirum ſit ille Deus; Jehova. Ut verò nomina propria hoc habent perpetuum, ut ultra ſubjectum unicum extendi ſe non patiantur; ſic neque fingendum eſt, nomen *Jehova* Deo proprium ad ullam creaturam ſe poſſe extendere.

5. 2. Quia † nomen ejusmodi habet ἔτυμον ac derivationem, ex quo ſolius Dei proprium oſtenditur. Origo ſeu radix nominis eſt Hebræum הָיָה fuit, unde *Jehova* eſſentiam, ſive ens propriè deſignat. Quamvis autem & res creatæ ſuum habeant

ant esse, attamen in comparatione cum Deo pro nihilo habentur. *Esa. 40. v. 15. Ecce gentes sicut stilla situlæ & sicut pulvis tenuis statera reputatæ sunt, Ecce insulas ut pulverem proiiciet. v. 17. Omnes gentes sicut nihil coram eo; pro nihilo & inani reputatæ sunt ei.* Cujus duplex potest esse ratio: *una*; Dei αὐθυπαρξις, quòd ipse per semet, nullius alterius indigens, subsistit, nec ante se principium agnoscit ullum. *Altera*: creaturarum â Deo dependentia; in quo illæ vivunt, moventur & sunt *Act. 17. v. 28.* ex quo sic argumentor. Si ne quidem radix nominis Deo & creaturis communis esse potest, idque propter infinitam Dei super creaturas eminentiam; multò minùs nomen proprium ex radice progerminans commune fieri potest. Sed prius verum; uti ostensum; Ergò & posterius. Confirmat collectionem nominum similium usus Deo appropriatus, ut ὁ ὤν. *Apoc. 1. v. 1. cap. 11. v. 17.* item ὁ αὐτὸς *Heb. 1. v 12. ex Psal. 102. v. 28.* quæ certè nomina τῷ Jehova similia, dum soli Deo sunt propria eandem proprietatem de illo quoque probatam reddunt.

III. Quia †Deus ipse hoc nomẽ Jehova sibi soli & uni vẽdicat. Quãdo Moysi 6.

in

in Ægyptum mittendo, ac de nomine mittentis sciscitanti respõdet: *Sic dices filijs Israel; JEHOVA, Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, &c. misit me ad vos. Exod. 3. v. 15.* Item: *nomine meo, JEHOVA, non sum cognitus eis* (patribus) *Exod. 6. v. 3. Num. 6. v. 23. sqq.* hanc benedictionis formulam sacerdotibus præscribit: *Sic benedicetis filijs Israel, dicendo eis. Benedicat tibi Jehova &c. Et ponent nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* In nomine autem *Soli Deo proprio* benedicendum, Moyses exponit. *Deut. 21. v. 5. & accedent sacerdotes ad ministrandum: Jehovæ Elohim, & ad benedicendum in nomine Jehova.* Esa. 42. v. 8. *Ego Jehova, hoc nomen meum & gloriam meam alteri non dabo.* Ier. 44. v. 26. *Ecce, ego juravi in nomine meo magno, dicit Dominus, si erit ultrà nomen meum vocatum in ore omnis viri Juda dicentis: Vivit Adonai Jehova in omni terra Ægypti.* Unde argumentor. Quodcunq; nomen Deus vult sibi esse proprium, ut illo ab omnibus deastris atq; idolis gentilium discernatur, ideoque nemini, nisi ipsi tribui præcipit; hoc & Deo soli ac uni verissimè proprium est, & in sacris literis nulli à spiritu sancto præter unicum verum Deum attribui necesse est. Tale est nomen Jehova, ut probatum. Ergò illud uni Deo proprium à spiritu Sancto nulli alij adscribitur.

IV. Quia

IV. Quia † homines sancti nomen Jehova ut soli DEO proprium usurpant. Moyses *Exod.* 15. *v.* 3. *El him Jehova est vir bellator, Jehova nomen ejus.* cap. 34. v. 14. *non incurvabis te DEO alteri, nam Jehova Zelotes nomen ejus.* David *Psal* 68. *v.* 5. *Exaltate ascendentem super cœlos in Jah nomine ejus.* Jeremias *cap.* 32. *v.* 18. *DEUS magnus potens, Jehova Zebaoth nomen ejus,* cap. 10. v. 16. *Israël virga hæreditatis ejus* (DEI) *Jehova Zebaoth nomen ejus* cap. 33. v. 2. *Sic dixit Jehova faciens eam* (Hierosolymam) *Jehova formans illam, ut stabiliat illam, Jehova nomen ejus.* Amos cap. 5. v. 8. *qui effundit mare super faciem terræ, Jehova nomen ejus:* quod idem repetit *cap.* 9. *v.* 6. Sed neque hoc obscuri argumenti est, nomen *Jehovæ*, DEO uni convenire, quod cuivis oculato patet. 7.

V. Quia † sacra scriptura nomen Jehova, de nemine prorsus, quàm de solo, vero Jsraëlis DEO enunciat. Aliunde, nisi ex DEI verbo de nomine ejus judicare, ac quicquam statuere nefas est. Quem ergò nominis usum sacræ literæ vel probant vel improbant, is etiam nobis probatus esse debet, vel improbatus: quapropter, cùm *Jehovæ* appellatio nemini in sa- 8.

cris attributa legatur, præter unicũ Deum; utiq; nec nobis alium illi usum affingere fas est. Ut verò dictum scripturæ usum probem, provoco ad omnia illius loca, nomen istud usurpantia, ut ex illis manifestũ fiat, nõ nisi soli DEO summo nomẽ Jehova accõmodari; quæ universa, ac singula huc citata volo.

9. Excipiunt † adversarij, aliquot loca nomen Jehova creaturis attribuentia producendo. *Eniedin.* ad Genes. 16. v. 13. pag. 25. *Jehovæ nomen, & appellatio non soli, ut isti,* (Trinitarij) *ajunt, DEO creatori, verùm etiã multis rebus creatis attribuitur, sicut plurima testimonia ostendunt. Arca fœderis vocatur Jehova Num. 10. v. 35. & 32. v. 20. Deut. 12. v. 7. Jos. 24. v. 1. 2. Reg. 6. v. 2. Psal. 24. v. 8. &c. Sic & Hierusalem Jerem. 33. v. 16. Ezech. 48. v. 35. Sic altaria quædam Exod. 17. v. 15. Jud. 6. v. 24. Sic mons ille ubi sacrificandus erat Isaac Genes. 22. v. 14. Sic Judices, & sacerdotes Deut. 19. v. 17. &c.* Quibus *Osiorod.* cont. *Tradel. part. 2. cap. 2. pag. 91.* hæc loca addit. *Exod. 3. v. 3. 4. Act. 7. v. 30. 35. Exod. 23. v. 20. cap. 19. Act. 7. v. 38. Gal. 3. v. 19.*

10. Resp. † 1. In locis allegatis duplex, isque diversus est usus vocis, & nominis Jehova, 1. quidem ponitur nomen solitarium, & absq;

absq; conjunctione cum alijs. 2. Alijs conjunctum, vel cum ijs compositum. Priore modo usurpatur. *Num.* 10. *v.* 35. *cap.* 32. *v.* 20. *Deut.* 12. *v.* 7. *Jos.* 24. *v.* 1. 2. *Sam.* 6. *v.* 2. *Psal.* 24. *v.* 8. *Deut.* 19. *v.* 17. quæ loca (excepto postremo, quem ad sacerdotes & judices refert adversarius) simul omnia de arca fœderis agere perhibentur: Videndum ergò: 1. an in ijs arcæ fœderis. 2. an judicibus & sacerdotibus Israël, attribuatur nomen Jehova? Quod prius concernit, observandum, cultum divinum ad arcam fuisse alligatum. Ad arcam enim loquebatur Dominus cum Moyse juxta promissum. *Exod.* 25. *v.* 22. *conveniam tecum ibi, & loquar tecum, desuper de propitiatorio inter duos Cherubim, qui sunt super arcam testimonij.* Apparebat ergò Dominus ad arcam. *Lev.* 16. *v.* 2. *in nube conspiciar super propitiatorio.* Sedebat super Cherubim arcæ fœderis. 1. *Sam.* 4. *v.* 4. *tulerunt arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim.* Item 1. *Paralip.* 13. *v.* 6. *Psal.* 80. *v.* 20. *Psal.* 99. *v.* 1. *Esa.* 37. *v.* 16. posuerat ibi memoriam nominis sui *Exod.* 20. *v.* 24. *Deut.* 12. *v.* 5. ideoq; cultum universum coram arca expediri voluit. *Deut.* 12. *v.* 11. *sqq.* 1. *Reg.* 3. *v.* 15. 1. *Paralip.* 17. *v.* 1. 4. ibidemq; adorari; quo nomine eximiũ est exemplum Josuæ, *Jos.* 7. *v.* 6. *& scidit*

Josua vestimenta sua, & cecidit in faciem suam interram coram arca Domini &c. Et HISKIÆ 2. *Reg.* 19 v. 15. *& oravit Hiskia coram Domino & dixit: Domine DEUS Israël sedens super Cherubim, tu es DEUS solus &c.* Evidentem hinc habes causam, cur ad Dominum se convertentes, eiq; cultum exhibentes dicantur, sive corporis positu, sive oratione sese convertere ad arcam: non quòd arca esset Jehova; sed, quòd specialem suam præsentiam DEUS ad arcam ceu alligarit, ibique & quæri & inveniri voluerit.

11. In † specie igitur ad loca producta respondeo: *Num* 10. *v.* 35. 1. Mosen verbis illis *Surge Domine, ut dispergantur inimici tui:* non arcam, sed verum Jehovam, suam illic sedem habentem, compellasse; quæ Davidis est interpretatio *Psal.* 132. *v* 7. 8. *introibimus in tabernacula ejus, & curvabimus nos scabello pedum ejus. Surge Domine ad requiem tuam, TU & ARCA fortitudinis tuæ.* 2. Precatio est ad verum DEUM directa: ad arcam non citrà idololatriam. 3. Arca propriè non surgit, nec revertitur: id, quod DEO per ἀνθρωποπάθειαν rectè tribuitur. *Psal.* 68. *v.* 2. *Exurgat DEUS, & dispergantur inimici ejus, & fugiant odio habentes eum à facie ejus.* 4. Moses ita precabatur, quando arca jamjam vel proficiscebatur, vel quiescebat.

scebat. Sed quàm ineptè diceret jam proficiscenti, *surge*: & quiescenti atque reversæ, *revertere*? Adde; quòd hostes dispergere potest non nisi Deus, arca minimè.

Num. 32. *v.* 20. † præcipitur Rubenitis, 12.
Gaditis, & dimidiæ tribui Manassis, ut in bellum proceclant coram Jehova, hoc est, arca. RESP. 1. Nusquam legitur arca tempore Josuæ in bellum processisse, ideoq; ullo modo his verbis ad arcam respici, minimè certum est. 2. Econtrà: DEUM semper ste isse in acie, & promissa toties repetita: *ero tecũ*: *dabo eos in manus tuas* &c. fideliter servasse, nemini potest esse dubium. Exponitur ergò locus hic de arca fœderis dubiè, de Deo certissimè. 3. Si maximè (quod tamen ê textu non apparet) ad arcam quidã fieret respectus, non tamen arca ipsa nomine Jehova intelligenda esset, sed unicus verus DEUS ad arcam singulari modo præsens.

Deut. 12. *v.* 7. † præcipitur, ut oblationes 23.
comedantur coram Domino, id est, coram arca. RESP. 1. *coram Domino* hic non præcisè est coram arca fœderis; si enim locus attendendus; tabernaculũ, vel templum erat locus ille, ubi comedebantur oblationes: arca verò in interiore tabernaculi asservabatur; ergò & illi, qui in exteriore templi; vel tabernaculi sacrificia comedebant, coram

Domino comediſſe dicendus fuit. 2. Ille Jehova præcepto iſto intelligitur, qui frugum benedictiones largiebatur populo, id quod verba connexa monſtrant. Non autem arca, ſed DEUS ſolus fruges offerendas largiebatur, Ergo &c. 3. Cauſa evidens eſt monſtranda, quæ verba Moſaica ad arcam fœderis, non autem ad Deum verum referre jubeat.

14. *Joſ.* 24. *v.* 1. † Stetit Joſua cum primatibus Iſraëlis congregatus coram Domino. h. e. coram arca fœderis. Resp. 1. probandum: verba (*coram Domino*) iſtam interpretationem ſuſcipere: cauſa namque ejus apparet nulla. 2. per *Jehova* non intelligi arcam, locus allegatus evidenter convincit. Celebrabat Joſua comitia in *Sichem*, quæ urbs in montanis Ephraim erat ſita, *Joſ.* 20. *v.* 7. huc deportatam arcam, non legitur. Eo autem tempore citra omne prorſus dubium illic nõ fuit collocata, ſed in *Silo*, ubi tabernaculum non ita pridem fuerat erectum. *Joſ.* 18. *v.* 1. ex quo loco demùm tempore Eli mota legitur. 1. *Sam.* 4. *v.* 4. 3. *Coram Domino* igitur, nil eſt aliud, quàm in vero DEI timore congregari, & ceu in conſpectu ejus, hoc eſt, in pietate vera convenire.

15. 2. *Sam.* 6. *v.* 2. † Surrexit David, & omnis populus, ut aſcendere facerent aream DEI, ſuper quam invocatum eſt nomen Jehova Zeba-

Zebaoth. RESP. *Invocare nomẽ* alicujus super alterum, est nomen ejus illi attribuere: non tamen attributione recta, sed obliqua. *Rectam* dico, quæ fit per casum rectum; ut si dicam: arca est Jehova. Obliquam, quæ per casum obliquum: arca est Jehovæ, arca fœderis Jehovæ &c. Controversia nobis de attributione obliqua nõ est; quis enim nescit, templum, urbem, altare, populum, &c. sæpius dici, quòd sint *Jehovæ* templum, urbs, altare, populus? dum igitur attributio *rectа* in quæstionem nobis venit; quæritur: anne arca fœderis non saltem *Jehovæ*, sed etiam *Jehova* dicatur? Facilis est responsio: Phrasin illam: invocare nomen super aliquem, perpetuò inferre attributionem obliquam. Invocatum est nomen DEI Jehovæ super filios Israël, *Deut.* 28. *v.* 10. *Esa.* 63. *v.* 19. *Jer.* 34. *v.* 15. super Jerosolymam *Daniel* 9. *v.* 18. 19. super templum. 1. *Reg.* 8. *v.* 43. 2. *Par.* 20. *v.* 9. nec tamẽ vel Israël, vel Jerosolyma, vel templũ usquam appellantur *Iehova* sive Dominus; sed populus Jehovæ; urbs Domini. Simili modo super Ephraim, & Manassen nomen Jacobi, sive Israëlis invocandũ erat, nõ ut directim diceretur *Jacobus*, seu Israël; sed obliquè, filij *Iacobi*, tribus Israëlis *Gen.* 48. *v.* 16 & super uxores invocatur nomẽ virorũ. *Esa.* 4, 1. nusquã autẽ mulier, nisi per casum

obliquum, viri nomine appellatur. Invocatur ergò nomen Domini super arcâ fœderis, non aliter, quam appellationibus obliquis, arca Domini, arca fœderis Jehovæ; de quo attribuēdi modo, cū nulla, ut monui, nobis sit quæstio; impertinēter pro themate Photiniano obtinendo adductum esse constat.

16. *Psal.* 24. *v.* 8. ✝ Elevate portas, & introibit rex gloriæ. Quis iste rex gloriæ? Jehova fortis & potens; hoc est, arca fœderis. Resp. 1 Neque Eniedinus monstrat, neq; psalmus ipse vel levissimū habet indiciū, quo adducti arcam fœderis his verbis, atq; nominib9 designatā, multò minùs, verum Jehovam notatū non esse, vel suspicari liceat. 2 Nō sine impietate arca fœderis dicitur *rex gloriæ*, & *Dominus potens in bello*. Utrumq; enim attributum soli viventi Deo propriū ab arca fœderis est alienissimū. 3. Quis areæ introitus? quæ portarum elevatio prædicatur? cohærēt nusquā de arca fœderis accepta. Propriè autē de Christo vaticiniū hîc editū cujus adventō nō absq; ingenti desiderio expectabatur, nō ad Judæos solùm, sed etiā ad gentes celebrādus; inde portæ seculi, sive mundi, jubentur elevare capita, ut Regem hunc dignè excipiant. Fit; hoc Davidis vaticinium ejusdē argumenti cum concione Johannis, præcursoris Domini, *Esa.* 40. *v.* 3 4. *parate viam Domini, rectam facite in solitudine semitam DEI nostri;*

noſtri: omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur: & erit pravum in directionem, & altitudines in planitiem.

Oſtenſum† hactenus eſt, in nullo abs Eniedino productorum locorum nomen Jehova arcæ fœderis tribui. Pergit adverſarius, probare annitens, Iudicibus, & ſacerdotibus Iſrael competere Jehovæ nomen, producto ad hoc probandum, loco *Deut.* 19 *v.* 17. *& ſtabunt ambo homines quibus lis eſt, coram Jehova, coram ſacerdotibus, & judicibus, qui erunt in diebus illis.* RESP. 1. diſtinctè nominantur 1. Jehova. 2. ſacerdotes. 3. judices. Unde certiſsimè infertur, nomen Jehova non enunciari de judicibus. Quemadmodum enim quia diſtinctè nominantur Iudices, & ſacerdotes, infallibiliter ſequitur nomen *ſacerdotis* judicibus non imponi: ſic quia nomen Jehovæ à ſacerdote, & judice, diſtingvitur, certum eſt, conſequens, illud his minimè competere. 2. Ubi verò ſcriptum eſt, ſacerdotes & judices eſſe illum Jehovam? Num exiſtimant Photiniani, Deum ipſum in judicio præſentem non eſſe, ut alij ibidem præſenti nomen eius attribui, ſit neceſſe? Etenim: Si hoc credunt, cur nomen eius dant hominibus? ſi negant, inſtitui ſe patiantur à *Pſalm.* 82. *v.* 1. *Deus ſtat in cœtu Deorum, in medio judicum judicabit.* Et à Joſa-

.81

17.

.91

phato 2. *Paral.* 19. *v.* 6. *Dominus vobiscum est in judicio.*

18. Conatur † Ostorodus per scripturarum collationem evincere, Jehova nomen esse etiam *angelorum*: idque agit dupliciter. 1. Locum *Exod.* 3. *v.* 3. 4. ubi describitur apparitio Jehovæ facta Mosi in Madian; confert cum Stephani testimonio, qui angelum apparuisse Mosi, affirmat, *Act.* 7. *v.* 3. Unde sequatur, angelum dici Jehovam. *Contr. Trudel. part.* 2. *cap.* 2. *pag.* 91.

19. Resp. † 1. Meminerint Adversarij, hunc argumentandi modum dum ex locorum diversorum collatione Christum probamus Jehovam, magno molimine abs se impugnari; conscientiam igitur suam consulant, velintnè illum nobis etiam, ut legitimum utendum permittere, an verò in se ipsis, non minùs, ac nobis improbare? 2. Negatur consequentia; quia rectiùs ex collatione ista infertur, *Iehovam dici angelum* (quod ipsi nomen apertissimè tribuitur *Gen.* 32. *v.* 26. *sq. cap.* 48. *v.* 16.) quàm creatum angelum appellari Jehovam. 3. Intueamur textum propius. 1. Memoratur angelus apparuisse in rubo, quod de Jehova neque Moses, neque Stephanus affirmat, (quamvis Jehova è rubi medio dicatur locutus.) Quomodo ergo Jehovæ, & angeli identitas infertur, ubi

ubi illi in communi prædicato non conveniunt? 2. Loquitur Jehova ad Mosen è rubo; angelum fuisse locutum, nusquam legitur, rursus igitur nulla consequentia. 3. Si maximè prædicatum idem de Jehova, & angelo enunciaretur, nondum tamen secutura esset Ostorodi consequentia, obstantib9 ejusmodi attributis Jehovæ adscriptis, quæ in angelum creatum nullo modo cadere possunt. 1. DEUS Abraham, Isaac, & Jacob v. 6. 2. educit ex Ægypto v. 8. 3. Dat terram Chanaan, v. 8. 4. mittit Mosen ad Pharaonem v. 10. 5. καὶ ἐξοχλῶ, & in enimenti significatu obtinet nomen Jehova v. 14. quæ omnia, & singula, cùm non possint in creaturam ullam, ideoque nec angelum competere, necessarium est consequens, summum illum DEUM, & unicum verum Jehovam â Stephano vocari Angelum; non viciſſim, angelum â Mose vocari Jehovam.

II. *Exod.* 19. v. 11. † refertur, descendisse Jehovam super monte Sina ad legem Israelitis promulgandam, (adjicit quidem Ostorodus locum Exod. 23. v. 20. quid autem is ad hunc scopum, non video, nec invenio.) Hoc autem feciſſe angelum, Stephanus testis est *Act.* 7. v. 38. unde illatio eadem. 20.

RESP. 1. Cùm fermè par sit ratio hujus loci cum præcedente, responsiones plerasq; huc repetitas volo. 2. Jehova locutus est,

docente

docente Mose, & quidem ille Iehova, 1. qui tulit legem *Exod.* 20. *v.* 2. *sq.* 2. ex Ægypto eduxit Israelitas, *ibid.* 3. qui visitat peccata parentum in filijs, *v.* 5. is autem non est creatus angelus. Ergò, aut Iehova per angelum creatum est locutus, aut, quod convenientius, Iehova nomine angeli (quòd in plenitudine temporis in carnem mittendus) insignitur.

21. Placet † huc adscribere interpretationem Eniedini, quam cum probatione conciliet Ostorodus. Sic autem ille. *Quòd additur, hic eundem vocari & angelum, & Jehovam, Deum Patriarcharum, in hoc etiam inquiri potest. Nam tùm ex Mosis, tùm ex Stephani narratione posset aliquis verisimiliter colligere, alium esse eum, qui Mosi apparuit, & alium, qui locutus est, & se Jehovam, ac Deum patrem appellavit. Ita ut ignis ille in rubo ardens dicatur Angelus; at ille qui è medio, vel, ut in Hebræo est, ex corde ignis est locutus, vocetur Jehova, & Deus patrum. Certè ignem alibi quoq; scriptura Angelum Dei vocat. Heb.* 1. *v.* 7. *Psal.* 103. *v.* 4. *apparitio igitur ipsa, seu res à Mose visa, tum à Mose, tum à Stephano Angelus Dei vocatur, sed oratio & vox ab utroq; tribuitur Jehovæ in igne latenti. Hæc opinio confirmari etiam testimonio Christi potest.* Ad locum Exod. 3. v. 6. pag. 44.

Prior

Prior † hæc fuit classis locorum, quibus statuitur, nomen *Jehova* creaturis purè, & *sine compositione* attribui. *Posterior* classis ea loca continet, quæ nomen Jehova *compositum* de creaturis efferunt. Sic enim Jerusalem dicitur *Iehova-justitia nostra* Jerem. 33. v. 16. *Iehova-ibi* Ezech. 48. v. 35. Altare à Mose extructum *Iehova-vexillum-meum* Exod. 17. v. 15. Altare ædificatum à Gedeone *Dominus-pax* vel *Dominus pacis* Jud. 6. v. 24. locus immolationis Isaaci, *Iehova-videt*, Gen. 22. v. 14. 22.

RESP. 1. † Si in his locis nomen ipsum per se usurpatum intuearis, fatendum erit, illud creaturis dictis, minimè omnium, competere; id quod nominum compositorum paraphrasis nullo negotio demonstrat. Etenim *Ier.* 33. *v.* 16. nomen est: *Iehova-justitia nostra*; expone nomen (*Iehova*) absolutè sumtum de Jerosolyma, & hunc habebis sensum: Jehova, id est, *Ierosolyma, justitia nostra*. Ezech. 48. Jerosolymæ datur nomen; Jehova-id est, *Ierosolyma-ibi*. Altari Mosaico Exod. 17. Jehova, hoc est, *altare-vexillum*, & exaltatio mea &c. Quæ extrema paraphraseos absurditas attributionis absurditatem arguit. Ut interim nihil dicam, quàm impiè dicenda foret Jerosolyma justitia nostra; altare vexillum, seu exaltatio 23.

justitia

justitia nostra; pax nostra &c. scil. DEO soli citra omne dubium, & controversiam propria creaturis tribuantur. Non enim Jerusalem justitia, nec altare vexillum, aut pax nostra, sed DEUS: neque mons aut locus immolationis viderat Abrahamum, sed quem ipse colebat, DEUS.

24. 2. Si † verò non ipsum nomen Jehova, absolutè sumtum, sed *in compositione* consideres, nunquam illud creaturis attribui, exinde efficies. Notissimum quippe cuivis est, nomina propria compositione ingredientia, in alia prorsus diversa degenerare. Vides illud in nominibus Imperatorum, aliorumque magnatum, ex quibus urbium nomina enata fuêre. Ut Constantinopolis, Adrianopolis, &c. ubi nomina quidem habes Constantini, Adriani, sed nullam urbium audies dici Constantinum, Adrianum; verum Urbem Constantini &c. Idem fit in compositionibus alijs, ut cui composita competunt nomina, de illo negentur primitiva; docentibus *Melech* in Ebedmelech, Elimelech, Abimelech: *AB* in Abner *EL*, in Eliab, Abimael, *Babel* in Sorobabel, πατὴρ in Sosipater &c. Nomina igitur, licet suo quodam modo, alijs rebus attributa, nulli alteri, postquam compositionem sunt ingressa, communia fiunt. Idem in nomine divino *Iehova*,

va, observandum: non manere illud (quatenus scil. est in compositione,) nomen idē, sed aliud â priore longè diversum: ideò Jehova-Schammah, Jehova-Nissi, Jehova-Schalom, Jehovah-Jiræh, creaturarum nomina sunt, DEI nequaquam. Confirmatur appellationum diversitas, 1. quia composita illa (quatenus sunt propria) non vicissim DEO tribuuntur; is enim nunquam ceu proprio nomine dicitur *Iehova-ibi* &c. ejusmodi verò reciproca attributio planè futura esset necessaria, si nomen Jehova Deo, & creaturis ex æquo competeret. 2. Quia de subjecto eodem non simul proprium illius nomen, & Jehova promiscuè efferuntur. Sic urbs *Ierosolyma*: ea non dicitur promiscuè Jerusalem, & Jehova; licet possit simul appellari Jehova-ibi. Manifestum hinc, *idem non esse nomen Jehova, & Iehova-ibi.* 3. quia hoc non possunt diffiteri adversarij. Sic enim seipsum cōfutans & confundens *Enjedinus* ad locum *Matth.* 1. *v.* 23. *pag.* 102. scribit. *Animadvertendum est, nomina sæpè non rei ipsius naturam exprimere, sed signa tantùm, aut monumenta esse rerum per illa significatarum. Ut Abraham Gen. 22. montem, in quo Isaacum sacrificare jussus erat, appellat Iehova videbit. Neque tamen quisquam montem illum vel Jehovam esse, vel videre, affirmarit.*

Ita

ita Jacob. Gen. 32. locum quem vocat Peniel, vel Phanuel id est, videns Deum, vel facies DEI; Locus tam ille, nec videt DEUM, nec facies est DEI. 4. quia hoc similia DEI nomina testantur. Fatetur *Eniedinus*, EL *nomen, sibi fortasse DEO attributum, in sacris legi*, Ad locum *Gen. 1. v. 1. pag.* 5. Sed nominum ex EL compositorum magnus est numerus: Israël, Raphael, Gabriel, Bethel, Uriel, Jesreel, Samuel, Ismael Gamaliel, Daniel, Ezechiel Nathanael. Item: Elisa, Elisama, Elisabeth, &c. per quæ nomina appellationum EL communem fieri DEO, & creaturis, cùm non agnoscat Eniedinus, (sine dubio non alia de causa, quàm propter compositionem) sed prorsus alia nomina per compositionem exurgere statuat, idem quoque de Jehova dicendum censeat.

25. Ratio † eadem est vocis Græcæ θεὸς, quæ alterius nominis compositionem essa, creaturis proinde non fit cum DEO communis. Non enim Timotheus neque Theophilus θεὸς appellatur &c. Atque sic demonstratum puto, nomen Jehova ita esse solius DEI, ut extra ipsum nulli creaturæ conveniat; & ; cuicunq; competit, eum verum, ac summum DEUM esse, argant. Ex abundanti hunc subjiciam Syllogismum; ex quo firmitas & constantia Photiniani dogmatis

gmatis de nomine Jehova, DEO cum creaturis communi perspiciatur. Omne nomen proprium uni, & soli convenit, nec pluribus est commune, (quem ex grammatica definitione argumentandi modum approbat *Socinus cont. Wieck. pag. 379.* scribens: *sciendum est, nomen DEUS suâ naturâ esse nomen appellativum, & idcircò pluribus conveniens.*) Jehova est nomen proprium: (sic enim idem autor *pag. 395. nomen Jehova est nomen proprium, κύριος verò, seu Dominus appellativum, & plurimis vulgò tributum, & idcircò vel ob hoc solum valde ineptum ad nomen Jehovæ exprimendum.*) Ergò Jehova uni, & soli convenit, nec pluribus est commune.

ERROR III.

Nomen DEI non est nomen naturæ, & essentiæ, sed dignitatis, officij, aut potestatis.

ALterum † hoc nomen, ΘΕΟΣ, DEUS, ita soli creatori omnium convenire credimus (eo tamen modo, qui postea explicabitur) ut, cuicunque illud tribuitur, hunc verum & naturâ DEUM, evincat. De Christo igitur subsumentibus, ut aliquid 1.

respondeant Photiniani, negandum censent, *nomen DEI significare divinam naturam*: officium saltem, dignitatem, ac potestatem notare asserentes; ut, probato, Christum esse verum DEUM, nil sit evictum amplius, quàm potestate divina eum pollere (licet quò ad essentiam nil sit præter nudum hominem.) Sic ergò fœcundus error, fœtus de se gignit sibi similes.

2. Statuunt † verò hunc suum errorem trepidi, modò absolutè, modò cum restrictione. *Absolutè*, *Smalcius* Exam. cent. errorum, Error. 3. pag. 5. *Non dicimus DEUM non esse Deum naturâ, sed potestate; credimus enim, DEUM esse DEUM naturâ & essentiâ: sed vocem DEI in latino & græco sermone, de illo supremo numine, quod naturâ tale est, usurpatam, dicimus, significare non essentiam istius supremi numinis, sed ejus potestatem. Idem*, de divinâ Verbi incarnati naturâ cap. 26. pag. 144. *Vox DEI dignitatis nomen est, non essentiæ; & quicunq; veram divinitatem, hoc est, veram potestatem divinam habet, is suo modo verus Deus est.* Cum restrictione ad particularitatem, *Enied.* ad locum Joh. 1. pag. 159. 160. *DEI vocabulum dignitatis potius, & officij esse nomen, quàm naturæ & essentiæ, omnibus, qui sacra tractant, notissimum esse debet, &c. Non ergò sequitur, si quis dicatur Deus,*

ideò

ideò statim pro æterno, cœli & terræ creatore esse illum habendum. Cùm ad quoscunq; λόγους DEI fiat, Dij dicantur, &c. Idem ad Phil. 2. v. 5. pag. 320. *Notum est, Dei vocabulum non semper in scriptura naturam, sed sæpe excellentiam, hoc est accidens denotare.* pag. 321. *Repetendum omne id, quod in genere suo excellit, & usitatam ac vulgarem sortem superat, dici DEUM. Unde fit, ut DEUS, non semper substantiam, sed sæpè etiam accidens, utpote quidvis in suo genere excellens, & eminens significet.* Socinus respons. alt. cont. Volan. pag. 189. *Quanquam nomen DEUS, quatenus etiam appellativum est prorsus, substantiam ipsam aliquo modo significat, tamen unum ex ijs nominibus censeri debet, quæ grammatici ambigua vocant, qualia sunt, Rex civis, poëta, Philosophus & alia ejusmodi. Hæc enim substantiæ qualitatem quandam potius, quàm ipsam substantiam declarat.* pag. 191. *Nomen DEI non tàm rei substantiam, quàm qualitates significat.*

EXAMEN.

Non † quærimus; 1. an nomen DEI potestatem, & eminentiam divinam inferat? Ut enim illud omnia DEI idiomata, æternitatem, justitiam, omnipræsentiam &c. consignificándo infert; sic etiam potestatem infinitam, atque divinam. 2. Neq; an 3.

nomen DEI aliquando creaturis, propter officium divinitùs demandatum, & potestatem concessam tribuatur? id enim (docente nos scripturâ) fatemur lubentes. Sed quæritur: an nomen DEI in se, & quatenus in scriptura usurpatur, ita sit potestatis nota, & tota vocis significatio per potestatem, & officium sic expleatur; ut, ne quidem de summo D E O usurpata essentiam, sive naturam designet, adeoq; is, cui nomen illud imponitur, non arguatur exinde verus, ac summus esse Deus? Ab affirmante stantes vidimus Photinianos; nos, dum in negantem abimus, toti quidem negotio, adversariorum fundamenta subruendo, essemus satisfacturi: ut tamen error tantò magis sit conspicuus, has ego negationis causas addo.

4. I. Quia † nomen ipsum Grammaticè sumtum nullo modo solam potestatem, sed etiam essentiam, eamq; primò significat. De nominibus fit judicium aut ex grammatica, & significatu illorũ grammatico; aut ex arte, in qua usurpantur. Dum igitur & DEI nomen considerandum venit, duplici isto modo in illud inquirere oportet. Quod ergò ad *priorem*; Nomen DEI vel primitivum est, vel derivatum

tum. Sin *illud*: tunc peculiaris ejus significatus aut immediatè ex voce ipsa cognoscitur, aut per alias ab eo descendentes, quemadmodum REX officij nomen esse, patet, quia regere, regimen &c. officium designant. Ubi verò notum est, 1. per vocē aliquam notari substantiam. 2. nec per derivata constat, esse illam officij nomen, ibi naturæ, & substantiæ significatrix esse, concluditur. Sed; nomen, DEUS, substantiam denotare, notum est: neque ex ullo derivato nomine constat, substantiam designari ratione accidentis saltem cujusdam; ergò, (si primitivum est) erit nomen essentiæ, atque naturæ. Sin derivatum; (quamvis hoc verisimile non fiat) sive ab αἰθεῖν, urere, sive θέειν, currere, sive θεᾶσθαι, cernere, sive aliunde descendisse credatur; 1. firma derivationis ratio reddenda est, non per conjecturas qualescunque emendicanda, 2. officij significatio sufficienter ex primitivo ducenda. Neutrum facilè præstabunt adversarij. Hactenus ergò thesin suam per Grammaticam neque cognoscunt, neque defendunt.

II. Quia † usus nominis DEI primarius, qualis præcipuè in Theologiâ occurrit, indicat, ipsum esse natu- 5.

ræ notam. Adversarij ex accidentali, & secundario vocis alicujus usu significatum universum siniſtrè admodum judicant. Quemadmodum enim malè colligo: Cæsar interdum est nomen personæ, Ergò non officij, aut viciſſim. Aries significat instrumentum bellicum; ergò est vox militaris, non armentaria. Sol non est naturæ nomen, sed qualitatis; qui enim alijs prælucent, ac præ cæteris sunt eximij non infrequenter *soles* titulo insigniuntur. Et salvator Christus *sol* nuncupatur *Mal.* 1. *v.* 7. quòd hunc in modum omniũ fermè nominum, & vocabulorum significatio, vel per ambiguitatem, vel usus primarij ad secundarium inflexionem torqueri posset. Similiter; etsi DEUS secundariò notat eum, qui naturâ DEUS non est; non recte vox ista absolutè naturam significare negabitur; quòd ab eo, quod ineſt per accidens, ad id, quod ineſt per se, consequentia non militet. Proprius verò ac primarius significatus nominis DEUS naturam notat: 1. *quia appellationes* (cumprimis verò substantiarum perfectarum) *ab aliquo naturam consequente, aut planè non sumuntur, aut sic essentiæ applicantur, ut jam accidens illud notare desinant.* Exempla sunt plurima: In nominibus hominum, Jacob, Israël, Abraham, in nominibus animalium,

lium, mergulus, sciurus, Ephemeris, accipiter &c. & ejusmodi quàmplurimis, quæ ab accidente desumta, propriè substantias ipsas significant Posito nunc, DEUS esse nomen ab accidente desumtum; quamvis id nullatenus probatū, concedi non possit; non tamen ideò cessabit substantiæ & essentiæ esse nomē: quod tantò magis esse evincitur, quia ab accidente non derivatur, & quoties propriè (de summo DEO) usurpatur, substantiam notari, tota scriptura clamat. 2. *quia appellationes ab officio aut dignitatibus desumte, tunc demum substantiæ applicantur, quando illa jam nomen suum essentiale est adepta.* Si verò DEUS essentiæ nomen nonest, non prius numini summo attribuetur, quàm illud, *aliud quoddam substantiale nomen* jam habuerit. At ejusmodi substantiale nomen, neq; scriptura expressit, neque Adversarij, Ergò Deus non est nudæ dignitatis appellatio, 3. *quia DEI nomen in omnibus exemplis sacræ Scripturæ summo numini illud tribuentibus non aliter, quàm essentiam, nusquam dignitatem aut officium notare conspicitur;* qua in re ad scripturam provoco.

III. Quia, † quoties de vero Deo quæritur, non de potestatem, sed essentiam divinam habente res est. Testes produco Prophetas, & Apostolos; 6.

qui, quoties de vero DEO verba faciunt, adeoq; vocem in significatu genuino, vero, proprio, ac principali usurpant, nunquam dignitatem notant, sed semper essentiam. Quando autem secundariò hominibus, aut per μίμησιν idolis attribuunt, tunc â significatu vero ad minus proprium deflecti, nemo non videt; ut, hoc non obstante, verum nihilominus maneat, quoties de vero Deo quæritur, de essentiam divinâ habente quæstionẽ institui. Provoco ad ipsos quoq; Adversarios, ut edicant, annon ipsi in controversiis cumprimis de Deitate Christi, & Spiritus sancti, nomen DEI usurpent ἐσηωδῶς, eoque simul indicent, verum, summum, adeoque propriè dictum Deum esse, non nisi eum, qui essentiâ DEUS est? Hinc argumentor: Si de quacunque voce Theologica, ex sacra scriptura, utpote fundamento Theologiæ, & usu Theologico judicium faciendum, & verò in utroque vox, DEUS, significat eum, qui essentiam habet verè divinam, consequitur utique, non aliter statuendum, quàm nomen DEUS esse vocem essentiæ. Prius est ostensum, sequitur ergò posterius.

7. IV. Quia, †quando controversia de DEO extitit, nomen DEI nunquam nota-

notavit officium, vel dignitatem, sed semper naturam. Resumo axioma modò notatum: Theologici termini significatum, rectiùs, quàm ex usu scripturæ, non cognosci. Videantur autem de DEO agitatæ controversiæ, quas populus Israël varijs Idolomanijs se subinde contaminans movit; an Jehova sit verus DEUS, an verò, Baal, Molech &c? Harum quippe absurditatem, imò abominationem, ostendit per Prophetas Dominus, argumento potissimùm ab essentia petito; eoque quadruplici. 1. Quicquid est opus manuum hominum, id verus DEUS non est; sed Dij gentium sunt opus manuum humanarum. Ergò Dij gentium non sunt veri Dij. *Esa.* 37. *v.* 19. *Jer.* 16. *v.* 20. 2. Quicquid factitium est ex auro, argento, ligno, vel lapide, hoc verus DEUS esse nequit. Sed gentium Dij ex auro, argento &c. sunt factitij, Ergò gentium Dij non sunt veri Dij. *Exod.* 20. *v.* 23. *Deut.* 28. *v.* 64. *Esa.* 44. *v.* 12. *sq.* 3. Quicquid omni agendi facultate, multoq; magis, actuali operatione destituitur, non potest esse verus Deus. Sed Dij gentium omni agendi facultate, multoque magis, actuali operatione destituuntur. Ergò Dij gentium non possunt esse veri Dij. *Psal.* 115. *v.* 5. *sq.* *Psal.* 135. *v.* 16. *sq.* *Baruch.* 6. *v.* 7. *sq.* 4. Quicquid est corrupti-

bile, & igne alijsq; modis consumi potest, id Deus verus non est. At gentium Dij corrumpuntur, comburuntur. &c. Ergò illi veri Dij non sunt 2. *Reg.* 19. *v.* 18. *&c.* Opponitur scilicet idolorum *essentia* appellationi Deus, & quidem in argumentis palmarijs, ac principalibus, ijsque non per consequentias remotiores collectis, sed immediatè productis. Ex quo evidenti admodum consequentiâ sequitur, nomen *DEUS* esse essentiale. Elias cum Baalitis de vero DEO contendens, nõ de potentia Jehovæ aut Baalis controvertebat, sed de veri DEI *essentia*, illanè Baalis esset, an Jehovæ? 1. *Reg.* 18. *v.* 21. *sq.* Sic Paulus gentium idololatriã notans *Rom.* 1. *v.* 21. gentes Deum agnitum, ait, non ut Deum glorificasse, ab essentiâ nimirum DEI recedẽtes, loco DEI animalia quadrupedia, homines, serpẽtes &c. coluisse *Gal.* 4. *v.* 8. cultum gentilium in eo culpat, quòd is dirigebatur ad eos, qui Naturâ Dij non erant. Et *Act.* 17. *v.* 23 Athenienſium cultum reprehendit Paulus, quòd majestatem divinã tribuerent illi, adeoq; Deum dicerent, cujus *essentia* ipsos lateret. Hinc argumentor: Si is, qui summa, divinaq; potestate agnita, numẽ aliquod colit, nihilòminus verum Deum agnovisse, & coluisse, negatur, quòd, quis ille Deus, aut planè ignorârit, aut ex proprio sensu, & judicio statuerit: sequitur, nomen

DEI

DEI propriè & Theologicè sumtũ non nudam potestatem & dignitatem, sed essentiã quoq; notare. Ratio consequentiæ est, quia ad cultũ sufficeret *potestatẽ* Deo adscribere, non habita ratione *essentiæ*. Et possent Deum verum rectè agnoscere Anthropomorphitę, nec non infinitatẽ; aliaq; ejus idiomata negantes; confitendo enim potestatẽ, & eminentiam sufficienter essent confessi Deitatẽ.

V. Quia † nomen DEI esset relativum, nec numini summo, nisi in relatione ad creaturas competeret. Nomine suo Deum â creaturis pendere, nil est aliud, quàm dicere; Deũ non esse Deum, nisi in respectu aut relatione ad creaturas; quod vel ipso sono absurdũ est, mò horrendũ. Sic enim falsò diceretur Deo esse ab æterno, extitisse ante mundum conditũ &c. deficiente scilicet comparatione ad creaturas, per quã Deus dignitatem, officium, & eminentiam habere dicitur. Deus autẽ ab æterno, & ante creationẽ orbis Deus est, etiam tunc, quando nec officium nec dignitatem, aut eminentiã supra quid aliud habuisse dicitur. Non ergò ab officio, dignitatibus, &c. quorũ respectu ad creaturas refertur, nomen istud obtinet. 8.

VI. Quia † Christus, quâ homo, cùm omnem divinam potestatem habeat, quam pater, eodemq; significatu & gradu DEUS vocandus esset. Certum est; 9.

un de-

undecunque appellationis alicujus ratio desumitur, illo in subjecto crescente, vel deficiente, appellationem quoque ipsam intendi, remittique, ut in qualitatibus, quantitatibus, &c. est conspicuum. Ab intensione quantitatis dicitur quid longissimum, latissimum, crassissimum, longius, latius, &c. à qualitatis in- & decremento calidius, frigidius, gravius: Atque sic; ubicunque appellatio usurpatur secundum magis, & minus, illic causam appellationis accrescere, vel imminui necessum est. Sed, si causa nominis DEUS est dignitas, aut potestas, utique in quibuscunque subjectis potestas divina est eodem gradu, illa quoq; eodem gradu possunt appellari Deus. Verùm; potestas summa, verèque divina, æqualis est in Deo patre; & Christo (quâ homo est) huic enim tradita est potestas, & quidem *Omnis*, Joh. 3. v. 35. *Pater diligit filium, & Omnia dedit in manu ejus.* Matth. 28. v. 18. *Data est mihi Omnis potestas in cœlo, & in terra.* Joh. 16. v. 15. *Omnia, quæcunq; pater habet, mea sunt;* ut ratione potestatis inter patrem, & Christum *hominem* discrimen non sit. (Quòd enim pater habet potestatem illam per essentiam, filius, *quâ homo*, per communicationem, non facit discrimen potestatis, sed potiùs essentiæ, quam Photiniani â causa appellationis

tionis excludunt.) Ergò Christus homo eodem gradu & significatu Deus dicendus est, quo pater. Quod & Ecclesia, ut erroneum, semper damnavit, & adversarij ipsi ut absurdum rejiciunt. Hoc verò, cùm stante thesi Photiniana (quòd DEUS sit nomen potestatis) devitari nullo pacto possit, illam ut non minus absurdam absurdæ filiæ matrem explodendam, concluditur.

OBJECTIO.

Unicum, † quod thesi suæ substernunt Adversarij fundamentum, est *nominu DEI de creaturis, putà magistratibus, usurpatio Psal.* 82. *v.* 1. Stetit Deus in medio DEORUM, h. e. judicum DEI loco regentium: quo sensu & Christus ait *Joh.* 10. *v.* 35. *Illos dixit* (lex) *Deos, ad quos factus est sermo DEI.* Quia verò his propter officium, non essentiam nomen hoc competit, sequi putant, non esse illud φύσις, sed potentiæ, & dignitatis notam. 10.

RESP. † Nemini ignotum esse potest, vocis unius plures interdum esse significationes; imò & usurpationes diversas; ex sola autem primariâ, ex qua dependent cœteræ, non vicissim, instituendum esse judicium. Quis enim ferret sic argumentantem? DEUS 11.

inter-

interdum (imò sæpissimè) in scriptura dicitur, qui, cum nihil sit, talis esse ab hominibus stolidis putatur: (quoties enim dicit scriptura: Dij tui, vestri, gentium, Moabitarum, Ammonitarum, Philistinorum, Babyloniorum &c. Deastros non-Deos intelligit.) Ergò DEUS non dicitur propter essentiam, aut potestatem, sed hominum opinionem: Quis verò sic colligentem? Nomen Dei ponitur interdum ἀντιφρασικῶς, (1. *Reg.* 18. *v.* 27. illudebat Elias Baalitis, atq; dicebat: clamate voce magna, quia si *DEO* (h. e. nil minùs quàm Deo) esset sermo cum quopiam &c.) Ergò caussa appellationis non est quid aliud, quàm ἀντίφρασις? Nimirum, quia usus secundarius, nihil præjudicat primario, improprius proprio, accidentarius τῷ per se; particularis universali.

Idem ergò sibi responsum habeant Photiniani.

ERROR

ERROR IV.

Nomen DEUS, non est soli æterno Deo ita proprium, ut, cui illud competit, is summus DEUS esse, credatur.

DOminus, † & Salvator noster, Christus Jesus, ut alibi, sic etiam hoc in loco est contradictionis signum. Nunquam enim hunc errorem essent defensuri Photiniani, ni scirent, solidum ex assertione orthodoxa divinitatis Christi argumentum deduci; cui dissolvendo DEUM appellari non solum Deum summum, sed eos etiam, qui in creaturarum numero inveniuntur, asseverant. 1.

De † quo nomine ita sentiunt: *Eniedin.* ad Gen. 1. v. 1. pag. 5. *plurale Elohim, certum* 2.
est, passim tàm DEO vero, quàm creaturis, ut hominibus, & Angelis: idq; tàm uni quàm pluribus attribui. Qui verò certas quasdam regulas, Hebræis scilicet loquendi formulas præscribentes, sunt commenti, quibus quis possit deprehendere, utrum Elohim de uno, an pluribus: de Deo, an creaturis accipiatur, multipliciter decepti sunt. Et *ad proœm. Johann.* pag. 160. *DEI vocabulum varijs, & multis rebus tribui solet, sicut ex veteri, & ex Novo testamento appareret. Non ergò sequitur, si quis dicatur Deus,*

ideò

idèo ſtatim pro æterno cœli & terræ creatore eſſe illum habendum. Idem ad Matth. 1. v. 23. pag. 101. *Notum eſt, plurimas res in ſacris literis Dei nomine inſigniri, quæ nec æternæ nec creatrices ſunt cœli, & terræ. Si ergò demus, Chriſtũ dici Deum, num propterea erit ſtatim creator cœli & terræ? Omnes magiſtratus in dignitate collocati homines, & Spiritu ſancto afflati, teſte etiam Chriſto, vocantur in ſacris literis Dij, num propterea ſunt illi creatores cœli, & terræ?* Socinus cont. Wieck. cap. 6. claſ. 4. arg. 1. pag. 313. *Nego, propoſitionem iſtam, in ſcriptura D E I nomen abſolutè poſitum, ſoli illi uni D E O tribui. Nam rebus quoque creatis tribuitur aliquando, ut mox docebimus.*

EXAMEN.

3. Controverſia† hæc in duo membra ſe-met ultrò diſpeſcit: inquirendum namque, 1. *etiamnè nomen Deus præter ſummum numen cuiquam alij competat: atq; ſic illi cum creaturis ſit commune? 2. quibus notis nomen iſtud de Deo æterno, vel creaturis uſurpatum agnoſcatur?* de utroq; diſtincte.

4. Membrum † Prius. Nemo verò iſtius foret vel ſtuporis, vel amentiæ, ut nomen Deus nullo prorſus pacto creaturarum,

rum, sed absolutè, ac perpetuò solius Jehovæ proprium putet. Quis enim nescit, ut cœtera taceam, ipsum quoque diabolum Deum hujus seculi appellari? 2. *Cor.* 4. *v.* 4. nequaquam igitur super hac re Adversarijs litem movebimus. Diversam autem nominis DEUS usurpationem non ita credimus confusam, & implicitam, ut interim usus singularis, Deoq; soli proprius non clarus & conspicuus permaneat, & soli æterno Deo proprius non satis sufficienter à cœteris distinctus deprehendatur.

Hanc† porrò confusionem, (si & argumento nostro quicquam detractum, & causæ suæ consultum voluerint Adversarij,) necessariò affirmabunt: qua in parte, ut illis occurratur, asserо, *nomen DEI sic creaturis tribui, ut certo tamen modo SOLI Jehovæ conveniat.* Fundamenta assertionis hæc produco. 5.

I. Quia † Jehova solus dicitur esse Deus, juxta quem non sit alius. Consequentiæ rationem operosè non expono, cuivis obviam & conspicuam: Probo autem, quod dixi, *Deut.* 32. *v.* 39. *Videte nunc, quòd ipse sum, & non est Deus mecum.* Psal. 86. v. 10. *tu Deus solus es,* Esa. 37. v. 16. *Jehova exercituum DEUS, tu es Deus solus omnium* 6.

regnorum. Esa. 44. v. 6. 8. *non est præter me Deus,* cap. 45. v. 5. 21. *Ego Jehova, & non est amplius præter me Deus.* cap. 46. v. 9. *Ego Deus, & non est ultrà DEUS, & non est, sicut ego.* Ose. 13. v. 4. *Ego Dominus Deus tuus ê terra Ægypti, & Deum præter me nescies.*

7. 2. Quia † nomen Deus æterno Deo singulariter adscribitur, ut nemo insuper illius esse particeps intelligatur. Sic enim 2 *Paral* 33. *v.* 13. dicitur: *agnovit Manasses, quòd Jehova esset DEUS.* Psal. 46. v. 11. *scitote, quia ego Deus.* Psal. 48. v. 15. *Iste Deus est Deus noster.* Hæc verò dicuntur ad aliorum omnium exclusionem; ut tùm unus, (non plures) judicetur esse Deus, tùm is esse Jehova, æternus Deus: quo simul omnibus sive creaturis, sive rationis humanæ figmentis titulus & nomen Deus omninò denegatur.

8. 3. Quia † æternus Deus affirmatur esse Deorum summus. Idque fit, partim, quando appellatur *Deus Deorum:* quod est in scriptura multum frequens: partim, cum supra ipsum quisquam esse, negatur. *Psal.* 77. *v.* 14. *Quis DEUS magnus sicut tu?* Exod. 18. v. 11. *Cognovi, quòd Dominus magnus præ omnibus Dijs.* Psal. 95. v. 3. *Deus magnus Jehova,*

hova, & rex magnus super omnes Deos. Vide & *Psal.96.v.4.* & *Psal.97.v.9.* Ex quo argumentor: Quicunque est super omnes Deos, Deus Deorum, cui nullus similis, is circa hoc ipsum nomen singularem præ omnibus prærogativam: adeoq; peculiarem nominis illius attributionem obtinet. Sed Jehova, æternus Deus, talis est. Ergo &c.

4. Quia † omnia de Deo in sacris dicta, forent incerta. Multiplicia nobis pandit scriptura, sive historias de Deo notandas, sive doctrinas, sive promissiones, &c. quæ omnia neque sufficienter assequi, neque fide firma & solida possemus complecti, nî ex asse & infallibili certitudine constaret, quisnam ille sit, cui adscribántur hæc omnia; quamdiu enim dubitatur de subjecto, nihil prorsȝ statuitur certi de prædicato. At stante ambiguitate ea, quam fingunt Photiniani, non possum esse certus de ulla historia, per DEUS intelligaturnè homo in dignitate aliqua constitutus, an Deus hujus seculi, vel Angelus quispiam bonus: nullam doctrinam tutò acceptare possum; nescius, quis Deus (siquidem ea vox varios habet significatus) ita doceat: nulli promissioni possum fidere, nisi certus sim, quis ille Deus promulgans? Sed aliter 9.

scrupulus iste tolli non potest, nisi evidenter sciam, per Deus in locis istis omnibus neminem, nisi æternum Deum unum, ac solum intelligi. Aut igitur in tota scriptura omnia erunt incerta. (Quod falsum, & absurdum.) Aut significatus vocis (DEUS) sic erit definitus, ut quàm certissimè constet, ipsum solius esse Dei æterni, non aliorum.

10. 5. Quia † Photiniani confitentur, Deum æternum καθ' ἐξοχὴν, & singulariter Deum appellari, qualiter id nulli creaturæ contingat. *Socinus* cont. Wieck. cap. 6. class. 4. arg. 1. pag. 379. *Sciendum est, nomen Deus sua natura esse nomen appellativum, & idcircò pluribus convenire: per excellentiam tamen, uni illi summo rerum auctori, & conditori singulariter attribui.* Consonat huic (at contradicit etiam) *Ada. Goslav.* part. 1. cap. 5. pag. 55. scribens: *Tribuitur* (nomen Deus) *uni illi summo rerum omnium conditori* καθ' ἐξοχὴν, *tanquam si ejus esset proprium. Nempe: quia hujus nominis significatio præcipuè illi convenit, & singulari quadam præter alios, ratione. Atque ita, ut vix, ac ne vix quidem hac appellatione sint digni alij, præter unum Jesum Christum &c.* Notum verò cuivis est, quicquid alicui excel-

excellenter, & κατ' ἐξοχὴν & quidem soli competit, hoc ipsum hactenus cum nemine altero habere commune. Subsumo; sed nomen Deus soli omnium creatori κατ' ἐξοχὴν competit. Is ergò hactenus cum nemine altero illud commune habet.

MEMBRUM † POSTERIUS. Satis ostensum, nomen *Deus* minimè commune, sed veri Dei solius esse. Occurrentibus verò hinc inde locis, nomē istud creaturis attribuentibus, non exiguæ videtur difficultatis, eminentē istum modum, juxta quem soli vero & summo Deo est proprium, accuratè deprehendere. Quò contenderunt viri docti, notas, nomen *Deus* summo numini tributum, & de creaturis enunciatum sufficienter discernentes, præscribendo, quibus ego nil volo detractum: hoc tamen veritatem amantibus considerandum relinquo; an non rem istam investigandi rectior, & compendiosior sit via; si non operosè inquiram; *quibus in locis verus Deus nomine isto intelligatur*: sed potiùs, *in quibus non intelligatur*. Causa videtur ista. Norunt omnes in quarumvis rerum veritate inquirenda hoc observandum esse discrimen, ut regula constituatur ejus, quod principale est; quod verò secundarium, vel ad regulam reduca- II.

reducatur, vel ab ea excipiatur. Declaro exemplo grammatico. Ostensurus præceptor discipulo suo genera nominum in A desinentium; initiò regulam format ex eo quod plærumq; ac fermè semper fit; scilicet in A desinentia fœminina sunt: cumq; hoc exceptiones patiatur; eas postmodum regulæ subjungens controversum negotium facili momẽto expediit: nunquam id præstiturus, si notas conquireret, quibus, fœminina in A desinentia deprehendantur esse fœminina.

12. Similem † in modum formandam existimo hanc generalem regulã. *Nomen Deus, quoties in scriptum occurrit, summũ, & æternũ Deum designat.* Hoc igitur processu utens, primùm regulam adscriptam constituo; cujus universalitatem si quis neget; stare illam assero, *salvis tamen exceptionibus.* Eas autem nomino notas, quando DEUS de Jehova *non enuncietur*, monstrantes: quod fit: 1. *Per ἐπιθέτα (alienus) vero Deo non convenientis additionem*; quandocunq; enim quid dicitur *Deus alienus*, tunc verum Deum non nutari, certum est: cujusmodi sunt loca Exod 20. v. 3. cap. 23. v. 13. Deut. 5. v. 7. cap. 29. v. 26. Jud. 2. v. 12. Dan. 11. v. 39.

13. 2. *Per † secundarij, & minus principalis significatus manifestam notationem.* Ut; quando DEUS ait, *Exod. 4. v. 16. Ipse* (Moses) *erit tibi*

tibi (Aaroni) *pro DEO*; ubi tàm, quòd Jehova solus verus DEUS de alio subjecto loquitur; tùm, quòd non simpliciter *Deus*, sed *pro Deo* esse Moses dicitur, minus principalis significatus clarè perspicitur. *Exod.7.v.1. dedi te Deum Pharaoni:* ostenditur significatus secundarius. 1. quia de subjecto alio, in quod Numinis suspicio cadere non potest, verus Deus hoc suum nomen effert. 2. quia Moses â Deo *datur* in Deum. 3. quia non est absolutè Deus, sed *Deus-Pharaonis*. Item: quando comparatio instituitur DEI summi, & Deorum aliorum, tunc per Deos â Jehova distinctos æternum Deum non-designari, certum est. *Psal.82.v.1. Deus stat in medio Deorum. Psal.86.v.7. non est sicut tu inter Deos, Domine*: quæ comparatio tunc etiam obtinet, quando Jehova nominatur Deus Deorum. *Deut.10.v.17. Psal.136.v.2. Psal. 84.v.8. Dan.2.v.47.* super omnes Deos. *1. Paral.16.v.25. Psal.95.v.3. Psal.135.v.6. &c.* ubi genitivus *Deorum*, & accusativus *Deos*, summum Deum non designant. 14.

3. *Per † nominis (Deus) de illo subjecto, cui fuit attributum, negationē.* Fit interdum, ut aliquid, quod DEUS dicitur, Deus tamen esse negetur; ubi sine omni dubio, vox *Deus* de tali subjecto enunciata verum Deum non significat. *2.Reg.19.v,18. posuerunt*

Deos Assyriorum in ignem, quia non Dij ipsi Esa. 37. v 19. *Assyrij tradiderunt Deos gentium in ignem, quia non Dij ipsi* Jerem. 16. v. 19. *nunquid faciet sibi homo DEOS, & ipsi non sunt Dij.*

15. 4. *Per † attributionem eorum, quæ â vero DEO sunt aliena.* Quandocunq; de illo, quod nominatur Deus, ejusmodi prædicata enunciantur, quæ in Deum verum cadere non possunt, tunc vocem Deus de Jehova intelligere non licet. Hoc autem fit: 1. cùm *origo* Deorum indicatur â Deo vero aliena. Formari ex auro & argento, *Exod.* 20. *v.* 23. ligno, & lapide *Deut.* 28. *v.* 64. *Esa* 44. *v.* 17. poni in Deum *Jud.* 8. *v.* 33. fieri, *Exod.* 20. *v.* 23. *cap.* 32. *v.* 1. 1. *Reg.* 14. *v.* 9. 2. *Reg.* 17. *v.* 29. 2. *Paral.* 13. *v.* 8. manibus parari *Deut.* 4. *v.* 28. Cùm *substantia* illorum aliter, quàm Deo vero convenit, describitur. Sunt Aurum, argentum, lapis, lignum. Sunt idola, hoc est, nil præter imagines, & simulacra, 1. *Paral.* 16. *v.* 26. *Psal.* 96. *v.* 5. ideoque sunt Dij novi *Jud.* 5. *v.* 8. destituuntur omni virtute *Baruch.* 6. *v.* 13. *sq.* ut furto auferantur *Gen.* 31. *v.* 30. 32. vindictam in Adversarium exercere nequeunt, *Jud.* 6. *v.* 31. Econtra Deum adorare, eiq; subjici coguntur, *Psal.* 97. *v.* 8. nec juvant invocantes; 2. *Paral.* 32. *v.* 15. quibus in laqueum vertuntur *Jud.* 2. *v.* 3.

*v.*3. 3. cum turpis illorum *interitus* annotatur. Judicio, & divinus immisso exitio subjiciuntur, *Exod.*12. *v.*12. *cap.*20. *v.*23. *Num.*33. *v.*4. sepeliuntur, *Gen*35. *v.*4. comburuntur. 2.*Reg.*19. *v.*18. perduntur *Sophon.* 2.*v.*11. pereunt è terra, *Iere*10.*v.*11. In his omnibus alijsq; similibus locis nomen Deus æternum Deum non significare, quisque videt.

5. *Per † cultus divini prohibitionem.* Quicunque cùm appellatur Deus, cultu DEO debito affici prohibetur, ei titulus *DEUS* in significatu primario & excellenti nequaquam ttibuitur. Hoc autem cùm fiat sæpius, *Gen.*35.*v.*2.4. *Exod.*22. *v.*20. *cap.*23. *v.*24.33. *cap.*34.*v.*15 16. *Deut.*12.*v.*3. *cap.*7.*v.*16. *Ios.* 23.*v.*3. *&c.* certè, in istis locis omnibus nomen Deus creaturis, vel Dijs fictis in significatu æterno numini proprio non attribuitur. 16.

6. *Per † expressam notationem, quòd scriptum non ex rei veritate, sed hominum opinione loquatur.* Ejusmodi notæ sunt; *meus:* 1.*Sam.*5.*v.*7. *Iud.*18. *v.*22. *Esa.*42. *v.*17. tuus *Iud.*11. *v.*24. *cap.*13. *v.*22. *Rhut.*1. *v.*16. 1.*Reg.*18.*v.*24. *sq.* suus, *Deut.*20.*v.*18. *Iud.*16. *v.*23. *Esa.*37. *v.*38. *Ion.*1. *v.*5. gentium *Deut.* 6.*v.*14. 1.*Reg.*11. *v.*5. *Esa.*36.*v.*18. *sq.* terrarum 2.*Reg.*18.*v.*35. Ægyptiorum *Exod.*12.*v.*12. 17.

Sidoniorum. Ammonitarum &c. *Jud.* 10. *v.* 6. 1. *Reg.* 11. *v.* 5. Dan *Amos* 4. *v.* 14. quos elegistis *Jud.* 10. *v.* 14. Quamvis autē pronomina *meus, tuus, suus*: nonnunquam singularem erga verum Deum fiduciā exprimant; textus tamen monstrabit facilè, ubi fiduciæ assertio, vel Deorum fictio sit intell genda.

18. 7. *Per subjunctam explicationē.* Interdum, cùm notæ cœteræ non obtinent, structura textus monstrabit, quis nomine Deus intelligatur. *Exod.* 22. *v.* 9. nomine isto remittuntur, qui querelas habent, ad Deos, hoc est, magistratus. *v.* 28. præceptum extat: Dijs non maledices, & principi in populo tuo non maledices. Ubi subjuncta repetitio nominis *Princeps*, quid per *DEVS* intellectum, explicat; 1. *Sam.* 28. *v.* 13. 14. *Deos vidi ascendentes: quærit Saul: qua forma ejus?* Similia sunt loca. *Esa.* 37 *v.* 19. *Jer.* 2. *v.* 11.

19. Has † notas post diligentem locorū scripturæ fermè omniū consideratione, observatas & collectas sufficientes spero, quibus quæcunq; scripturæ loca nomē DEI aliis extra summū Deū adscribentia deprehēdi possint: (licet amicas aliorū correctiones, & additiones animo grato sim acceptur9.) Quicquid ergò sub assignatis exceptionibus non comprehenditur, id de vero, ac æterno Deo sine ulteriore exceptione intelligendū reor.

Qua

Qua † quidē ratione membro posteriori satisfactum fuerit: ex abundanti verò unam & alteram notam subjicio, quibus etiam in affirmantē certi possimus esse, quando nomen Deus, de cœli terræq; conditore efferatur. Appellatur ergo Deus creator omnium, usurpata voce. 20.

1. *In † usu suo vero, ac reali:* Quicquid appellatur Deus, illi nomen hoc convenit aut φαινομένως, aut ὄντως; modo priori idolis, aut creaturis imponitur, testante Paulo, *idolum, quod in mundo Nihil est, 1. Cor. 8. v. 4.* imò & cœteros Deos gentium, esse θεοὺς λεγομένους; ibidem affirmat, qui Dii non sint, attamen dicantur. Et de Antichristo ait, quòd se ostendat, tanquam sit DEUS. 2. *Thes. 2. v. 4.* Eodemq; sensu scriptura utitur, idololatras de fictitiis suis Diis loquentes introducens: Asdoditas dicentes: Manus DEI Israēl dura est super Dagon Deum nostrum. 1. *Sam. 5. v. 7.* Sic Paulus dicebatur Mercurius, Barnabas Jupiter. *Act. 14. v. 11.* idolatras ludens Elias ad Baalitas: *clamate voce magna: si Deo* (Baal) *esset sermo cum quopiam*, &c. 1. *Reg. 18. v. 24.* Quotiescunq; autem nomen Deus imponitur Jehovæ; ὄντως, & realiter, minimè φαινομένως & apparenter, aut secundum dici saltem illi competit. 21.

2. *In usu primario, ac principali.* Moses, magistratus, Prohetæ Dii dicuntur ὄντως ac verè; 22.

ac verè; non tamen primò, sed δευτέρως; appellatione à DEO summo ad ipsos derivatâ: idque cum attentâ textus introspectione, citra laborem deprehendatur; usus primarius facilè innotescit, isque semper Jehovæ summo proprius manet.

23. 3. *Quando † nomini DEUS ejusmodi epitheta adjunguntur, quæ in solum Iehovam cadunt.* Sunt ea non unius generis; aliquando enim ab *idiomatis* essentiæ suæ dicitur altissimus, solus, æternus, cœlum, & terram replens, omnipotens, corda, & renes scrutans; aliquando ab *operibus*, creator unicus, legislator, universæ terræ judex, redemtor, &c. aliquando à *cultu*, soli ipsi debito, metuendus, adorandus; quæ, & ejus generis plura, per totam scripturam passim fiunt legenti obviam: & certè: quoties ejusmodi adjectiones habet nomen Deus, summum Jehovam indubitanter notat.

24. Restant † expendendæ duæ notæ abs Photinianis assignatæ, quibus deprehendi putant, quando vox DEUS de summo, & unicè vero Deo non usurpetur. Prior ita habet.

25. Quando † ΘΕΟΣ sine articulo ponitur, indicium est, non significari Deum summum. Sic *Eniedinus* de

proêm.

proëm.Evang.Joh.pag.160. ΘΕΟΣ *hîc sine articulo positus est. quod indicat, non illum summum, & solum Deum ea voce hîc significari, quem præcedens, & sequens indicat clausula.* Socin.cont.Wieck.cap.6. class.4 arg.1.pag. 383. *Fateor; Christum alicubi in Novo testamento absolutè vocari Deum, Dei tamen nomine prædicati locum obtinente, & articulo, qui suam viam integram retineat, carente.* Adam. Goslav.part.1.cap.5. pag.57. *Dicitur pater Deus cum articulo: dicitur Christus Deus sine articulo. Sed in tota sacra scriptura non reperies, Christum dici Deum cum articulo.* Ex quibus clarum est, credere Adversarios, articulum Græcum voci ΘΕΟΣ additum vel non additum esse sufficiens signum, quando de vero DEO usurpetur, quando non.

RESP. † 1. Quod de Christo dictum, suo loco reservo. Concedo autem, aliquibus in locis (*Joh.*1.*v.*1. 1.*Tim.*3.*v.*16.) Christum appellari Deum, sine articulo. 2. Concedo utique, idem nomen Dijs falsis absque articulo attribui, *Act.*7.*v.*40. *cap.*12.*v.*22. *cap.* 17.*v.*23. *cap.*28.*v.*6. 1.*Cor.* 8.*v.*5. 2.*Thes.* 2. *v.*4. 3. Nego tamen; notam hinc pro nomine ΘΕΟΣ agnoscendo certam constitui: vel hoc argumento. *Unumquodvis signum competit suo signato.* 1. *Omni.* 2. *Soli:* ut juxta 26.

prius,

prius, ubicunq; signatum est, illic reperiatur & signum: juxta posterius: ubicunq; reperiatur signum, illic sit & signatum. Si ergò articuli absentia certum signum est, Deum summum non notari, utique signum illud conveniet signato omni, & soli: ut 1. quando alius, quàm Deus summus notatur, ΘΕΟΣ semper careat articulo & 2. quando ΘΕῸΣ caret articulo, semper significetur quis alius, quam DEUS summus.

27. His †ita positis, subsumo. Sed 1. ΘΕῸΣ *articulo carens non semper alium à vero Deo significat:* quia sæpissimè, &, paucis locis exceptis, semper de vero DEO accipitur, quoties articulo destituitur. Percurrens Novum Testamentũ, ducẽta circiter numeravi loca, ubi ΘΕῸΣ articulo carens de vero summo Deo necessariò est accipiendum. (Exempla, quamvis ubiq; obvia, ut sint in promtu, ex Evangelistis, quæ inibi occurrũt, annotabo. *Matth.* 4. *v.* 4. *cap.* 5. *v.* 9. *cap.* 6. *v.* 24. *cap.* 12. *v.* 28. *cap.* 14. *v.* 33. *cap.* 22. *v.* 32. *cap.* 27. *v.* 43. 54. *Marc.* 11. *v.* 22. *cap.* 12. *v.* 27. *cap.* 15. *v.* 34. *Luc.* 2. *v.* 14. 52. *cap.* 3. *v.* 2. *cap.* 4. *v.* 4. *cap.* 11. *v.* 20. *cap.* 16. *v.* 13. *cap.* 20. *v.* 38. *Joh.* 1. *v.* 6. 12. 18. *cap.* 3. *v.* 2. 21. *cap.* 8. *v.* 54. *cap.* 16. *v.* 30. *cap.* 19. *v.* 7.) cætera, quæ vel de Diis falsis agunt, & in dubium ullo modo vocari possunt,

vix

vix decem. En notam egregiam, signato suo vix; ei verò quod extra signatum est, fermè unicè convenientem.

2. *Nomen* ΘΕΟΣ, *quando alium â DEO notat, non semper articulo caret.* Testantur aliquot loca, ubi Θεὸς cũ articulo positũ nihilòminus de falsis Diis necessariò accipitur. *Act.* 7. *v.* 43. susceptistis tabernaculũ Moloch, & Sydus τῦ θεῦ ὑμῶν DEI vestri Rephan. *Act.* 14. *v.* 11. οἱ θεοὶ, Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. 2. *Cor.* 4. *v.* 4. ὁ θεὸς τῦ αἰῶνος τύτυ, Deus hujus seculi, ex cœcavit mentes infidelium. *Gal.* 4. *v.* 8. Tunc (sub Ethnicismo) ignorantes Deum serviebatis τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, iis, qui non sunt naturâ Dii. *Phil.* 3. *v.* 19. quorũ (carnaliter sentientium) ὁ θεὸς, Deus venter est Quamvis autẽ exemplorum copia magna nõ sit: attamen, quod 1. non sint multa loca in quibus DEI nomine veniant Dii falsi, 2. vix plura reperiantur, ubi falsis Diis nomen DEI sine articulo tribuitur; nullus dubito & hoc subsumtionis membrum satis superque probatum. Conclusionem igitur addo. Ergò articuli carentia non est certum signum, unde constet, quando nomen θεὸς, de summo Deo, creaturis, vel figmentis hominum usurpatur. 28.

Posteri-

29. Posterior † nota est: Quandocunque nomen ΘΕΟΣ in sermone vel textu scripturæ habet locum prædicati, tunc summus Deus non intelligitur. Est & hæc Socini observatio verbis antè adscriptis prodita, *lib. cont. Wieck. pag.* 383. *Fateor, Christum alicubi in Novo Testamento absolute vocari Deum, DEI tamen nomine prædicati locum obtinente*: quibus hoc agit unicum, ut appellationem, DEUS, Christo accommodatam eludat, quòd ea vox, dum ponitur loco prædicati, non denotet Deum summum.

30. Resp. † Neque huic observationi scripturæ usus concordat. Etenim: si nunquam Deus summus intelligitur, quando ΘΕΟΣ in prædicato ponitur, consequens est, neque Jehovam, neque patrem Christi, neque Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi &c. esse Deum summum: nam de isto ΘΕΟΣ prædicatur. 1. *Reg.* 18. *v.* 21. *Si Iehova Deus est, &c.* ubi inclusam latere affirmativam, Elias evidenti signo postmodum demonstrat. Atque hunc loquendi modum, Jehova, Deus Israëlis &c. est solus verus Deus, est Deus Deorum &c. esse frequentissimum, nemini potest esse dubium, qui scripturas vel per transennam inspexit; nolo igitur ea loca

loca cumulare. *Matth.22.v.32.* dicit DEUS: Ego sum DEUS Abraham &c. Non est (ΘΕΟΣ) Deus mortuorum, sed viventium. *Joh.8.v.54.* pater meus (inquit Salvator) est (uti vos dicitis) Deus vester *Act.7.v.32.* allegat Stephanus Dominum ita loquentem: *Ego*, (Jehova) *Deus patrum vestrorum &c.* 1. *Cor.8.v.6.* nobis est unus Deus, pater, ex quo omnia. 2. *Cor.6.v.16.* Deus dicit: ero Deus illorum. *Heb.11.v.16.* Deus non erubescit, Deus illorum vocari. Luculenta hæc sunt testimonia, quòd nomen ΘΕΟΣ, in prædicato constitutum Deo summo competat, ideoque nota Sociniana sit prorsus nulla.

Neque † juvabit adversarios calva ex- 31.
ceptio, qua casses, & laqueos, quibus constringuntur, perrumpere conantur; ac si loca allegata non habeant prædicatum DEUS, sed alia, longè diversa scil. DEUS-*Abrahami:* Deus-*vester:* Deus-*patrum:* Deus-*ex quo omnia*: Deus-*illorum*; aliud quippe putant *DEUS*, & *Deus-ex quo omnia*. Etenim; 1. vel oriuntur adjectiones hæ ex falsâ, & idololatrica hominum opinione; vel rei veritate, & cum scripturæ approbatione. Sin prius de exemplis productis obtinuerint, utique & observationem suam salvarunt; Sin verò Deus adjectiones illas approba-

rit, & ipsæ adjectiones nomen alij, quàm Deo summo non competere, ostendant; jam certè non video, quare nihilòminus prædicatum in rei veritate maneat idem. Quis enim ille Deus Abrahami, Deus-ex-quo omnia, Deus-patrum? aliusnè â summo Jehova? minimè omnium: Ergò Deus in prædicato positum est nomen veri ac summi Dei. 2. Non probarunt Adversarij, Spiritum sanctum facere compositionem ejusmodi, ut non sit adjectio saltem ἐπίθετα verùm ejusmodi σύνθεσις, per quam nova nomina generentur; quam tenentur probare, si quid obtinere voluerint. Quis verò nescit, descriptiones prædicatorum non facere, quò minus prædicata ipsa invariata permaneant? Si dicam: Matthias est Imperator, semper Augustus, negabisnè; de Cæsare Matthia enunciatum *Imperator:* asseres vero; enunciatum fuisse prædicatum, longè aliud, nimirum *Imperator-semper-Augustus:* quis, obsecro, non esset risurus stultitiam? Similiter, cum Deus dicitur, Deus *caritatis, pacis, consolationis*; non fiunt compositiones, sed nudæ descriptiones, ex quibus nomini Deus additis aliud quoddam nomen non nascitur.

32. Placet † tandem pro convellenda observatione Photiniana subjungere testimonium

um *Adami Goſtavij cont. Keck. part. 1. cap. 5. pag. 62. 63.* de loco illo 1. *Ioh. 5. v. 20. Hic eſt ille verus Deus, & vita æterna:* Ita diſſerentis. *Attendendum eſt, verba hæc non ad filium, cuius proximè mentio eſt facta; ſed ad illum verum, remotiori loco nominatum, eſſe referenda.* Hinc argumentor: Quicunq; hîc dicitur Deus, illi nomen DEUS competit, etiam quando tenet locum prædicati. Sed Deus pater ſummum numen hîc appellatur Deus, aſſerente Goslavio. Ergò Deo patri, ſummo numini competit nomen Deus, licet in prædicato poſitum. Videat Goslavius, quomodo ſemet conciliet cum Socino.

Error V.

Nomen Dominus non est Soli æterno Deo ita proprium, ut cui attribuitur, is pro Deo summo exinde habeatur.

1. Utitur † DEUS, præter modò considerata, & alijs nominibus, quæ quidem omnia, cum in controversiam abs Photinianis non trahantur, expendere, illorumq; usum investigare, animus non est. Unicum verò supereſt, quo Deus noster appellatur DOMINUS, variante, & ceu multiplicante hoc nomen lingvarum diversitate.

2. Græca † Novi Testamenti scripta utuntur nomine κύριος, quod interdum æquipollet nomini Dei proprio *Jehova*, quia septuaginta interpretes Jehova expresserunt per κύριος; aliâs æquisonat Hebræo Adon; Quæ posterior redditio (siquidem nomina propria non variant pro varietate lingvarum, nec in translationibus ullam pati debent mutationem) maximè conveniens est, quam hoc loco principaliter attendo.

3. Videndum † ergò distinctè, quid de nominibus 1. Adon, vel Adonai, 2. κύριος sentiant

tiant Photiniani, quid item ſacræ literæ. Utrumq; verò ita commune faciunt, ut, ſi cui competat, is propterea ſummus Deus haberi non poſsit.

De † *Adonai* ſic ſcribit *Eniedinus* ad Matt. 22. v. 41. pag. 108. *Vox Adonai, non naturam, ſed dignitatem ſignificat, quo vocabulo homines ſolent alios homines ſibi quòad naturam ſimiles appellare, ut Gen. 24. v. 35. Abrahamum ſervus appellat Adonai, & Abigail Davidem, 1. Sam. 25. neq; tamen vel ſervus Abrahami, vel Abigail aliquid aliud, quàm hominem eſſe putarunt Abrahamum, & Davidem, ſed dignitatem majorem in illis agnoverunt.* 4.

Idem † ſentire ipſos de nomine κύριος, teſtantur frequentia ipſorũ effata, quibus loca ſcripturæ Chriſtum Dominum appellantia inutilia reddere conãtur, quò minus Chriſti Deitas exinde probetur. Audire verò placet *Socinum* de voce κύριος, nomen Iehova referente, & Chriſto attributo, ſic differentẽ, *Cont. VVieck.* cap. 6. claſs. 4. arg. 2. pag. 395. *Affert autem poſtremo, quod nomen Jehova redditum eſt à LXX. interpretib9 κύριος, & ab Hieronymo Dominus: Chriſtus autem paſſim κύριος ſeu Dominus abſolutè appellatur. Vnde concludit, eum appellari Jehovam. Reſpondeo, nec LXX. interpretes, nec Hieronymum, eos imitatum, reddidiſſe nomen Jehovã κύριον ſeu Dominum, quia putarũt ſe hoc pacto nomen illud* 5.

lud exprimere: sed quia nec LXX. illis melius quidquam succurrit, quod græcis auribus inauditum non foret, nec Hieronymus hac in parte quidquam innovare voluit. Alioqui nomen Iehova est nomen proprium, κύριος verò seu Dominus, appellativum, & plurimis vulgò tributum: & idcirco, vel ob hoc solum valde ineptum ad nomen Iehovæ exprimendum. Conati tamen sunt LXX. huic malo hac ratione mederi, ut scilicet, nomen κύριος ferè semper cum Iehovæ loco ponitur, sit sine articulo; ut etiam alibi ante monuimus; quò commodiùs nomen proprium referre posset. Neq; enim solent appellativa nomina in græca lingva, cum subjecti locum tenent, efferri sine articulo. At Christus, cum κύριος subjectivè (ut sic dixerim) appellatur, ferè semper articulus præponitur nomini isti. Ex quo fit, ut ego argumentum ab eodem nomine κύριος ductum in ipsum Bellarminum torqueam: & meritò sic concludam. Cum nomen κύριος, quando Iehovam significat, ferè semper sine articulo efferatur, quando verò Christum, ferè semper cum articulo; satis constare posse, Christum non esse Iehovam, & quòd κύριος nominetur, minimè propterea Iehovam nominari.

EXA-

EXAMEN.

Vox † Hebræa יְהוָה, & græca κύριος significatione (cumprimis, quoad usum grammaticum) æquipollent; nisi quod Interpretes Bibliorum Græci, quos vocant septuaginta, non saltem nomen Adon, sed etiam Jehova reddiderũt per κύριος; quam translationem Novi Testamenti scriptura sequitur ut κύριος nonnunquam æquivaleat nomini *Iehova:* nonnũquam τῷ Adon: distincte igitur de utroq; יְהוָה & κύριος agemus: prius tamen generalem hypothesin insecuturæ tractationi substernimus. 6.

Adonai † & κύριος, quantumvis pluribus, atq; diversis subjectis attribuantur, soli tamen summo DEO in eminenti quodam significatu κατ' ἐξοχὴν competunt; ut quitunq; TALITER appellatur Dominus, is quoq; summus ille Deus esse, rectè arguatur. Est res manifesta. *Esa.* 26. *v.* 13. conqueritur Juda: *Domine Deus noster, dominati sunt nobis Domini præter te tantùm: in te confidimus, memorabimus nomen tuum.* Et *Marc.* 12. *v.* 29. κύριος Deus tuus κύριος εἷς ἐστι. *Eph.* 4. *v.* 5. εἷς κύριος, unus Dominus. 1. *Cor.* 8. *v.* 6. Etsi sunt, qui dicantur Dij in cœlo & in terra; siquidem sunt Dij multi & Domini multi, nobis tamen est εἷς κύριος unus Dominus &c. 7.

8. Posito † igitur; esse quendam istorum nominum significatum soli Deo proprium; eum, ut deprehendamus, quando & ubi in sacris reperiatur, vel secus, alteram hanc pono ὑποθέσιν: *Nomen DOMINUS semper de summo DEO accipitur, nisi textus ipse alium significatum postulet.* Ratio ὑποθέσεως est; quia 1. Deus primò ac principaliter appellatur Dominus; primarius verò significatus semper obtinet, ubi vox per aliam vocem adjunctam, aut integram sententiam ad significatum secundarium, ac minus principalem non dejicitur. 2. Quicunque meretur appellari Dominus, is vel ἀντιφρασικῶς sic appellatur, vel honorifica saltem compellatione, sine Dominij attributione sic salutatur *Gen. 23. v. 6. 11. cap. 24. v. 18. cap. 32. v. 4.* vel si à vero Dominio nomen accipit, trahit illud ceu derivatum à summo Dei Dominio: ut igitur Dominium dicens, intelligo universalem & omnium supremam potestatem, nisi, aut forum ipsum, in quo agitur, aut tota sermonis ratio diversum requisierit: sic *Dominum* appellando, semper intelligo supremum, ac universalem Dominum, nisi ratio sermonis aliud svaserit.

9. Ostendendum † ergò, quando Adon de Deo summo non usurpetur. Id verò contingit.

git. 1. *quando tali subjecto competit, de quo dubium esse non potest, quòd illud non sit iste cœli, terræq; conditor:* utpote cum usurpatur de Abrahamo, de regibus mundanis, &c. quos Deum esse nemo conjectabit, cùm præsertim ne tantillum Deitatis, æternæ illius ac infinitæ indicium accedat. De gentilium Deastris & fictis numinibus Adon nusquam usurpatum invenio.

2. *Quando † ad certum & particulare Dominium restringitur.* Quale Dominium est, talis Dominus; hic enim ab illo nomen accipit. Etsi verò interdum Jehovæ particulare Dominium tribuatur, utpote cum dicitur, Dominus *meus, noster, tuus Esa.* 51. *v.* 22. *&c.* Dominium tamen illius ad nullam particularitatem restringitur: Si quidem alibi ultra hos limites infinitè extendi reperitur; ut appelletur quidem Dominus particularis, sed ita, ut simul non negetur Dominus universalis. At cœtera omnia non absolutè vocantur Adon, sed Dominus *meus, tuus, suus &c.* quæ particulare Dominium notare, cuivis est perspicuum. *Gen.* 39. *v.* 3. 20. Dominus terræ *Gen.* 42. *v.* 30. Dominus domus *cap.* 45. *v.* 8. *Psal.* 105. *v.* 20. Dominus Ægypti. *Gen.* 45. *v.* 9. In his autem ac similibus notissimum est, Dominum istum non esse Jehovam. 10.

11. 3. *Quando* † *Dominus alteri Domino subjectus dicitur* Deut. 10. v. 17. Jehova est *Dominus Dominorum: Psal.* 136. *v.* 3. Confitemini Domino Dominorum: *Gen.* 24. *v.* 35. *Iehova* benedixit אֲדֹנִי Domino meo. 1. *Sam.* 25. *v.* 26. Et nunc Adoni, Domine mi, vivit *Iehova*, &c. ubi genitivum DOMINORUM, non de summo, sed inferiore Domino, & sic, non de Deo intelligendum esse, quisq; sine difficultate cernit.

12. Etsi † verò annotata non-contentioso sufficere possent; ulterioris tamen explicationis gratia, & ceu ἐκ περισσίας notas, quasdam affirmativè monstrantes, quando nomen Adon Jehovæ conveniat, subjungam; ut si difficultatem non omnem, maximam tamen eius partem tollam; & quibuscunq; pijs ulterius rem considerandi occasionem præbeam; facilimè admissurus, si quis animo bono hanc meditationem meam, ubi quædam illius imperfectio deprehensa fuerit, corrigat, perficiat. Est igitur Adon nomen Jehovæ.

13. 1. *Quando* † *absolutè ponitur*, hoc est, nullo restringente limitatur. Quicunq; non absolutè, sed certo saltem modo, est ac dicitur Dominus, is citra omne prorsus dubium & controversiam, non est Dominus summus. Vicissim: qui absolutè ac sine restrictione

ctione Dominus appellatur, is etiam absolutè ac sine limitatione ulla Dominus universalis ESSE credendus est. Ubicunq; ergò nomen Adon sic usurpatum legimus, illic summum Dominum, hoc est, æternum Deum intelligi statuimus. Utpote *Ios.3. vers.* 11.13. arca fœderis Adon. *Psal.* 114. *v.*7. à facie אדון contremisce terra *Psal.* 12. *v.*5. dicentes introducuntur impij; *quis nobis Adon?* ubi non negant Dominium politicum, quod illi impij vel gerunt ipsi, vel supra se agnoscunt; sed imperium *conscientiæ* Deum non reverentes, ideo Jehova *v.*6. se illis facto probaturum ait, *quòd revera sit DEUS.* Econtrà; quando creaturæ dicuntur Adon, id non fit absq; affixorum dominium restringentium adjectione. Nec officit locus *Ier.*22. *v.*18 qui Jojachimo regi Juda honestam sepulturam his verbis denegat: non plangent te הוי אדון, *Væ Domine!* quod argumento est; hac olim formula solitos fuisse Jndæos reges suos plangere, eosque vocare *Adon:* præterquam enim quòd plangentium voces interruptæ, ac imperfectæ esse solent, de tali Domino hîc sermo est, qui mortuus, qui deflendus, qui sepulturæ destinandus: quod satis est restrictionis, satis argumenti, intelligendum hoc nomen

de Do-

de Dominio eo, quod mortis imperium non effugiat, ideoq; particulari, & inferiore non supremo ac universali, imò de eo quod FUIT, adeoq; temporis limitibus circumscripto; hoc est nequaquam divino.

14. 2. *Quando † effertur cum ה demonstrativo.* Notum est; ה demonstrativum significationem cuiuscunq; vocis fortificare, ac intendere, ut ea eminenti quadam ratione, & ceu excellenter isti subjecto attribui doceatur. Cuicunq; ergò hæc majestatis vox non absolutè saltem, sed etiam cum præfixa particula fortificante tribuitur, is ita κατ' ἐξοχὴν dictus, creditur, nisi certa quædam, & indubia nota diversum monstrarit. Sic autem usurpata legitur *Exod.* 23. *v.* 17. Tribus vicibus in anno comparebit omnis masculus tuus coram הָאָדוֹן ILLO Domino, Jehova. Ita usurpatur *cap.* 34. *v.* 23. *Esa.* 1. *v.* 24. *cap.* 3. *vers.* 1. *cap.* 10. *v.* 33. *Malach.* 3. *v.* 1. Nec officit, quòd *Deut.* 10. *v.* 17. de Dominis inferioribus, ac Deo subjectis legitur: *Dominus Deus vester est Deus Deorum, & Dominus* הָאֲדֹנִים illorum Dominorum: nam isti Domini Deo subjiciuntur, dum ipse istorum Dominorum Dominus appellatur: & ea de caussa ה demonstrativum

vim

vim istam significatum intendentem amittat.

3. *Quando † positum invenitur cum additamento dilatante*, hoc est, cum adjectione *universalis subjecti*, ex quo intelligatur, esse quis Dominus universalis, hoc est, absolutè summus, atque sic nemo, nisi æternus DEUS. Taliter verò positum occurrit *Ios.* 3. *vers.* 11. 13. *arca fœderis, Adon universæ terræ.* Item *Psal.* 97. *v.* 5. *Mich.* 4. *vers.* 14. *Zach.* 4. *v.* 14. 15.

4. *Quando † invenitur geminatum*. Tunc nomen *geminari* dico, cum quis Adon Adonim, Dominus Dominorum appellatur. Ut enim eadem hæc vox, posteriori loco posita (*Dominorum*) subjectionem subinfert, quatenus Dominum superiorem agnoscit; sic, *Dominus* ille qui cæteros omnes inferiores habet, meritò dicitur esse summus, hoc est, DEUS. Exempla verò istius usus habes *Deuteron.* 10. *vers.* 17. *Psal.* 136. *vers.* 3. 16.

5. *Quan-*

17. 5. *Quando* † *conjungitur cum Jehova, aut Elohim, vel utroq;.* Copula plurium nominum idem subjectum vel unicè, vel primò designantium revocat illa ad significatum maximè proprium. Etenim; si dicatur *Jehova Elohim* fatentur Photiniani, æternum Deum notari, quantumvis utrunque hoc nomen aliàs ipsi soli non convenire putent. Sic *Adon-Jehovà Gen.* 15. *vers.* 2. *Exod.* 23. *v.* 17. *Ios.* 3. *v.* 13. *Iud.* 16. *v.* 18. *Neh.* 10. *v.* 29. *Psal.* 8. *v.* 2. 10. *Psal.* 16. *v.* 1. *Esa.* 1. *vers.* 24. *cap.* 3. *v.* 1. *cap.* 10. *v.* 33. *Amos.* 4. *v.* 2. *Adon-Jehova-Elohim Exod* 34. *v.* 23. *Esa.* 51. *v.* 22. utiq; indubitanter notabit Deum summum, cumprimis verò, si ex superioribus repetatur, Jehova non esse nisi solius æterni DEI nomen; tunc enim quod huic ad ejusdem rei denotationèm annectitur, itidem eum solum notare, absque negotio deprehenditur.

18. 6. *Quando* † *τῶ Adon talia connectuntur attributa aut accidentia, &c. quæ nemini, nisi Jehovæ convenire possunt.* Dum enim celebratur Deus Dominus *magnus, Adon præ omnibus Dijs* Psal. 135. v. 5. Dominus *magnus & fortitudine multus, cuius intelligentiæ non est numerus.* Psal. 147. v. 5. dum in honorem ipsius *Adon celebrantur festa,* Nehem. 8. v. 10.

ipsi

ipsi *datur confessio*, & *misericordiæ celebratio*, Psal. 136. v. 3. *confitemini Adon Dominorum, quoniam in seculum misericordia eius*: dum, inquam, hæc de Adon enunciantur, nemini autem occultum esse potest, nullius creaturæ hæc esse attributa: promtè colligitur, Dominum intelligi solum Deum æternum. Atq; hæc de Adon.

Quæ† hactenus de *Adon* dicta sunt, pleraq; explicant, quæ de κύριος sunt observanda; ut verò & hic distinctius agam, & quando vox illa summo DEO conveniat, vel non conveniat, expresè monstrem, generalem istam regulam, huc repeto. Κύριος *cum propriè ac primò sit nomen æterni DEI, semper illum notare creditur, nisi certa quædam nota diversum intelligere jubeat.* Hoc autem fit 1. *quando ejusmodi subjecto convenit, de quo dubium esse non potest, quòd illud non sit iste cœli terræq; conditor.* Act. 25. v. 26. inquit Festus, *de quo certum quid scribere Domino* (Cæsari) *non habeo.* 1. Pet. 3. v. 6. *Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans.* 2. *Quando restringitur Dominium, ut quis dicatur Dominus, saltem secundum quid, & certo quodam modo* Matth. 15. v. 27. catelli edunt de micis cadentibus de mensa *Dominorum suorum.* Act. 16. v. 19. videntes *Domini puellæ*, quia exivit spes quæstus 19.

quæstus eorum &c. Col. 3. v. 22. servi obedite per omnia *carnalibus Dominis* cap. 4. v. 1. *Domini* quod justum & æquum est *servis* præstate. 3. *Quando κύριος refertur ad κύριον tanquam inferior ad superiorem* Apoc. 17. v. 14. c. 19. v. 16. Dominus Dominorum. 4. *Quando attribuitur cuipiam hoc nomen, vel κατὰ μίμησιν, vel honorificam compellationem, sine reali alicuius Dominij attributione.* Prioris exempla sunt *Matth.* 6. v. 24. Nemo potest duobus Dominis (Jehovæ & Mammona) servire. 1. Cor. 8. v. 5. Sunt qui dicantur Dij, sive in cœlo sive in terra, sicuti sunt Dij multi, & *Domini multi*: intelligè, Jupiter, Saturnus, Pluto, Neptunus. Posterioris. Ioh. 20. vers. 15. ubi Maria hortulanum (hunc enim secum loqui putabat) vocat Dominum: *Domine* si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum.

20. Quas † de Adon subjunxi notas alias monstrantes quando de summo DEO nomen illud usurpatum intelligi debeat; easdem nomini κύριος accommodare placet. Est itaq; κύριος nomen Jehovæ 1. *Quando cum additamento dilatante positum invenitur;* Dominus *cœli & terræ* Matth. 11. v. 25. confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ &c. Act. 17. v. 24. Deus qui fecit mundum, & omnia

omnia quæ sunt in eo, hic cum sit *cœli & terræ Dominus.* 2. *quando geminatur.* Apoc. 19. vers. 16. *Dominus* Dominorum: qui enim Dominorum est Dominus, utique universalis Dominus & κατ' ἐξοχὴν dictus putatur. 3. *Quando conjungitur cum nomine* ΘΕΟΣ Matth. 4. vers. 7. non tentabis κύριον τὸν θεὸν *Dominum Deum tuum.* vers. 10. *Dominum Deum* tuum adorabis Act. 3. v. 22. Prophetam vobis suscitabit *Dominus Deus* vester Apoc. 4. vers. 8. Sanctus *Dominus Deus* omnipotens &c. c. 11 vers. 17. gratias agimus tibi *Domine Deus* omnipotens. 4. *Quando talia attributa, accidentia, opera, quæ nemini, nisi æterno DEO convenire possunt, τῷ κυρίῳ attribuuntur.* Utpote, quod dicitur *omnipotens*, Apoc. 4. vers. 8. *prædicere futura* Matth. 1. vers. 15. 20. *Corda aperire* Act. 16. vers. 14. *corda regere* 2. Thess. 3. vers. 5. quòd item angeli appellantur *angeli Domini* Matth. 1. vers. 20. quòd deniq; per ipsum *adjurantur homines* 1. Thess. 5. v. 27. adjuro vos per Dominum. 5. *Quando allegatur sententia V. Testamenti, quæ de Deo propriè agit* Matth. 3. v. 3. est vox clamantis in deserto; parate *viam Domini.* c. 22. vers. 44. dixit *Dominus Domino* meo sede à dextris meis, Marc. 12, vers. 11. à *Domino factum* est

illud Act. 15. v. 17. Ut requirant cæteri homines *Dominum*, & omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit *Dominus, faciens hæc omnia.* Rom. 14. v. 11. scriptum est: Vivo ego, *dicit Dominus*, quoniam mihi flectetur omne genu. Cap. 15. v. 11. *Laudate Dominum* omnes gentes 1. Cor. 1. v. 33. Qui gloriatur, *in Domino glorietur.* c. 14. vers. 21. neque sic audient me, *dicit Dominus.* 1. Pet. 3. v. 12. *Vultus Domini* super facientes mala. 6. *Quando in parabolis regnum cœlorum describentibus, Dominus quispiam introducitur.* Matth. 18. vers. 27. Misertus autem *Dominus* servi illius dimisit eum. c. 20. vers. 8, dicit *Dominus vineæ* procuratori suo, voca operarios &c. c. 24 vers. 50. Veniet *Dominus servi* illius, in die qua non expectat. c. 25. vers. 18. sq. fodit in terram & abscondit *pecuniam Domini* sui. Ex his planum esse potest, ubi κύριος sit nomen Jehovæ, vel secus.

21. Observatio † Socini superius memorata, qua Jehova κύριον dici *absq; articulo*, Christum *cum articulo*, putat, nullius est momenti. Præterquam enim, quòd ipse id principaliter ad 70. Interpretum versionem refert, & particularitatem in illa agnoscit:

scitr certè in scriptura N. Testamenti κύριος de Jehova cum articulo, de Christo sine articulo inveniri planum est. Utq; prius illud duntaxat tangam: quoties ex Ps. 110. allegatur hæc sententia; dixit Dominus Domino meo: toties usurpatur ὁ κύριος Matth. 22. v. 44. & alibi. De parentibus Baptistæ refertur, quòd fuerint ambo justi incedentes in justificationibus Domini: τῆ κυρίᾳ Luc. 1. v. 6. Elisabeth gravida inquit, sic mihi fecit Dominus, ὁ κύριος &c. v. 25. Gabriel Mariam sic affatur: avè gratia plena, Dominus ὁ κύριος tecum. v. 28. Pastores Bethlehemitici accepto nuncio angelico sic invicem loquuntur: videamus verbum hoc, quod factum est, quod ostendit nobis Dominus, ὁ κύριος Luc. 2. v. 15. Petrus introducit Davidem ita loquentem: providebam Dominum τὸν κύριον in conspectu meo semper Act. 2. v. 25. Stephanus Mosis historiam repetens ait: dixit autem illi Dominus ὁ κύριος solve calceamentum pedum tuorum Act. 7. v. 33. Paulus de beneficijs divinis gentibus præstitis disserens ait, ut quærant Dominum τὸν κύριον si forte attrectent eum Actor. 17. vers. 27. Ex Ps. 117 repetit Paulus prima verba, Laudate Dominum τὸν κύριον

omnes gentes Rom. 15. vers. 11. Ex his facilè quivis intelligit, Socini observationem, quantum ad hoc membrum, nullius esse veritatis, multò minus certitudinis: ideoque nulla ratione attendendam. Posterius illius membrum non minus vanum est; siquidem multa scripturæ Novi T. loca Christum κύριον appellant sine articulo. Verum hoc alterius est loci.

Μόνῳ Θεῷ δόξα.



INDEX. I.

ERRORUM PHOTINIANORUM IN HOC scripto confutatorum.

ERror. I. *Qui confitentur, solum patrem Domini nostri Iesu Christi esse unum Deum Israelis, non dicendi sunt Photiniani, multò minus Ariani, aut hæretici, sed Christiani, ideoq; pro spiritualibus fratribus habendi.* pag. 8. CAPUT. I.

II. *Quicunq; confitetur Christum, etiamsi de ejus persona, de Deo, & homine varios errores foveat, pro Christiano, & fratre agnosci debet.* pag. 18.

III. *Opinio privata non est imputanda toti cœtui, qui quid sentiat, ex publicis ejus scriptis petendum est.* pag. 42.

IV. *Quicquid humana ratio falsum esse pronunciat, hoc in Theologia neq; verum esse potest, neq; in S. literis doceri, credendum est.* p. 49.

V. Scriptura S. sine speciali, & interna S. Spiritus illuminatione cum fructu legi, atq; audiri potest. p. 82.

VI. Dogmata fidei ex solo scriptura sensu literali, non autem mystico, figurato, aut parabolico sunt stabilienda. p. 99.

VII. Quæcunq; ad æternam salutem sunt necessaria, κατὰ ῥητὸν in sacris extant, nec per consequentias ex ijsdem elici debent. p. 109.

VIII. Licitum non est homini Christiano abs illo in doctrina dissentientes, quantumvis falsas opiniones fouentes, damnare hæreseos. p. 121.

IX. In ijs quæ ad æternam salutem per se necessaria non sunt, opinionibus variare, est libertatis Christianæ effectus. p. 136.

CAP. II. Error. I. Deus non innotescit hominibus per naturam, sed quicquid illi de Deo sciunt, hoc omne habent ex revelatione. p. 148.

II. Ad æternam salutem consequendam sufficit; quantum ad essentiam, de Deo scire. 1. quòd sit Deus. 2. quòd unus. 3. æternus. 4. perfectè justus. 5. perfectè sapiens. 6. perfectè potens. p. 185.

CAP. III. Error. I. Ut legatus nomen, & personam mitten-

mittentis gerit, sic Jehova interdum dicitur is, qui, ceu legatus, vicem Dei sustinet. pag. 194.

II. *Nomen Jehova ita est solius Dei, ut nihilominus, aliis quoq; extra Deum attribuatur, nec eum, cui competit, verum, ac summum Deum esse arguat.* p. 203.

III. *Nomen Dei non est nomen naturæ, & essentiæ, sed dignitatis, officij, aut potestatis.* p. 225.

IV. *Nomen Deus non est soli æterno Deo ita proprium, ut cui illud competit, is summus Deus esse, credatur.* p. 239.

V. *Nomen Dominus non est soli æterno Deo ita propzium, ut cui attribuitur, is pro Deo summo exinde habeatur.* p. 260.

INDEX II.

QUAESTIONUM

in hoc examine declaratarum.

1. *An novi illi haretici sint dicendi Photiniani?* p. 9. 12.
2. *An ijdem sint dicendi Ariani?* p. 10. 13.
3. *An Photiniani sint dicendi haretici?* p. 11. 16.
4. *An ijdem appellandi Christiani?* p. 11. 14.
5. *An cuivis factioni ac cœtui nomen aliquod certum imponendum?* p. 11.
6. *An Photiniani sint habendi pro fratribus?* p. 16.
7. *Quis dicendus Christianus?* p. 20. 21.
8. *An ex negationibus judicium de religione fieri debeat?* p. 27.
9. *An Christus sit Ecclesiæ ac fidei fundamentum?* p. 31.
10. *An error de essentia Christi fidem tollat, & Christianismum destruat?* p. 32.
11. *Quis pro fatre agnoscendus?* p. 41.
12. *Quousq; rationis usus in Theologia admittendus?* p. 53. 56. 59.

13. Ad-

13. *Adversarij ex rationis fundamentis agentes an, & quomodo ex ijsdem sint confutandi?* p. 55.

14. *An, si religionis dogmati aliquod principium rationis videtur repugnare, judicium de eo ex ratione instituendum?* p. 63.

15. *Quis usus discursus logici in negotio religionis?* p. 55.

16. *An, & quomodo detur regressus à privatione ad habitum?* p. 61.

17. *Quomodo Christus rationabiliter docuerit?* p. 60.

18. *An ad intelligendum Prophetias necessarius sit Spiritus Propheticus?* pag. 97.

19. *An dogma fidei ex solo sensu literali stabiliendum?* p. 99.

20. *An omnis sensus figuratus sit mysticus, & contra?* p. 104.

21. *An omne figuratum sit in sermonem simplicem resolubile?* p. 108.

22. *An omnia ad salutem necessaria, in sacris κατὰ ῥητὸν extent?* p. 109.

23. *Quousq; se extendat Christiana Charitas?* p. 135.

24. *An detur notitia DEI naturalis?* p. 148.

25. *An homo salutari notitiâ Deum ex naturæ viribus cognoscere possit?* p. 149.

26. *Quomodo irrationales creaturæ Deum laudent?* p.167. 168.
27. *Cur Israelitæ Jehovam venerantes se ad arcam convertere debuerint?* pag.212.
28. *An actionis communitas nominum communitatem inferat?* p.199.
29. *Quomodo, & quando Deus dicatur Jehova, Elohim, Adonai, κύριος?* p. 205.
30. *An legato in casu recto competat nomen legantis?* 196.
31. *An nomen Deus tantum potestatem, an vero essentiam significet?* p.228.
32. *An nomen Deus commune sit Deo vero & creaturis?* 240.
33. *An vox θεὸς sine articulo posita etiam attribuatur Deo æterno?* p. 252.
34. *An nomen θεὸς prædicati loco positum nunquam tribuatur Deo vero ac summo?* p.256. *sq.*
35. *An, cui competunt nomina κύριος, Adon vel Adonai, is certò sit verus æternus Deus?* p.260.
36. *Quando & ubi nomen* Dominus *competat soli vero Deo?* p.264.
37. Adon, *quando de Deo summo non usurpetur?* p.265.
38. *Quando de Deo summo usurpetur?* p.266.
39. *Quando vox κύριος soli Deo conveniat, & quando non?* p.271.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768664373/phys_0286
DFG

INDEX III.

LOCORUM SCRIpturæ, in hoc tractatu explicatorum.

Gen.22.v.14. Jehovah videt. p.221.

Cap.23.v.6. Domine mi princeps Dei es. pag. 264.

Cap.24.v.15. Bibe Domine mi. p.264.

Cap.32.verſ.4. Sic dicite Domino meo Eſau. p.264.

Exod:3.v.3. Dixit ergo Moſeh, declinabo nunc & videbo &c. p.218.

Exod:17.v.15. Jehovah vexillum meum. p.221.

Exod:19. v.11. Deſcendet Jehovah in oculis totius populi. p.219.

Exod:23.v.20. Ecce ego mitto angelum. p.196.

Num.10.v 35. Surge Domine, & diſſipentur inimici tui. p.212.

Num:32.v.20. Si accinxeritis vos armis coram Jehovah ad bellum. p.213.

Deut.10.v.17. Dominus eſt Dominus illorum Dominorum. p.268.

Deut:12.v.7. Comedetis ibi coram Jehovah. p.213.

Deut.

Deut.19. v 17. Et ſtabunt ambo homines, quibus lis eſt, coram Jehovah. p.217.
Joſ.24.v.1. Steteruntq; coram Deo. p.214.
Jud.6.v.24. (Jehovah Schalom) Dominus pax vel pacis. p.221.
2.Sam.6.v.2. Surrexit David, ut abduceret arcam Dei, ſuper quam invocatur nomen Jehovæ. p.214.
Pſal.14.v.1. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. p.171 & ſeq.
Pſal.24.v.8. Elevate portas, & introibit rex gloriæ. p.216.
Eſa.51.v.22. Sic dicit Dominus tuus. p.265.
Jer.33.v.16. Jehovah juſtitia noſtra. p.221.
Jer.22.v.18. Non plangent te; Væ Domine. pag.267.
Eze:48 v.35. Jehovah ibi. p.221.
Marc:12.v.26. Ego Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. p.115.
Joh.16. v.8.9. Spiritus arguet mundum de peccato. pag.126.
Act.7.v.30. Apparuit Moſi angelus in igne flammæ rubi. pag.218.
Rom.2.v.14. Cum gentes, quæ legem non habent, &c. p.153.
Cap.12.verſ.1. Siſtatis rationalem cultum veſtrum. p.79.

1. Cor. 2. vers. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus DEI.* p. 170. seq.

Tit: 1. vers. 9. *Vt possit exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes convincere.* p. 121.

Cap. 3. vers. 10. *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem devita.* p. 129.

1. Ioh. 4. vers. 3. *Quicunq; spiritus non confitetur, Jesum Christum in carnem venisse, &c.* pag. 16.

INDEX IV.

INDEX IV.

RERUM ET VERBORUM, in hoc libello occurrentium.

A.

Actionis communitas quomodo non inferat communitatem nominum. p. 199.

Actus primus notitiæ naturalis Dei omni homini in Individuo ineſt. p. 179.

Adon & κύριος quò ad uſum grammaticum æquipollent. p. 263. *Adon* ſoli tribuitur Jehovæ. 1. *Abſolute* p. 266. 2. *Cum* ה demonſtrativo p. 268. 3. *Cum additione* univerſalis ſubjecti p. 269. 4. *Geminatum*, ibid. 5. *Conjunctum cum Jehova aut Elohim.* p. 270. 6. *Cum talibus attributis quæ ſoli Deo competunt.* ibid. *nunquam verò uſurpatur de idolis gentium.* p. 265.

Æqualis eſt poteſtas Dei patris & Chriſti hominis. p. 236.

Agnitio Dei non quæcunq;, ſed ſolida requiritur in Chriſtianis. p. 17.

Agnoſcere Chriſtum quid? p. 16.

Apparentia contradictionum inter Theol. & Phil. unde oriatur. p. 63.

Appli-

Applicatio principiorum Philosophicorum ad res Theologicas, Theologiæ subjiciendæ est. p. 58. & 62.

ἀπὸ, *quid significet?* p. 163. 164.

Articulum fidei constituere posse, negant Photiniani, quod rationi contrariatur. pag. 53.

Assensum verbi operatur S. Spiritus. p. 89.

Articulus græcus voci Θεὸς *additus non facit nomen* Θεὸς *Deo vero, vel creaturis proprium.* p. 255.

Attentio humana non operatur intellectum verbi Dei. p. 93.

C.

Captivare rationem quid? p. 69.

Catechesis Racoviensis fermè nihil præter doctrinæ Christianæ negationes continet. pag. 44.

Charitas Christiana tria requirit. p. 42. *quousque se extendat?* p. 135.

Christus est Ecclesiæ ac fidei fundamentum. pag. 31. *Rationabiliter docuit.* p. 60. *ex ratione tamen mysteria non dijudicavit.* p. 80. *Error de ejus essentia fidem & Christianismum tollit.* pag. 32. *quid sit, illum agno-*

agnoscere? p. 16. quid confiteri? p. 40. in ipso tum officium tum persona attendi debent. p. 32. & de ejus essentia sinistrè statuentes hæretici judicandi sunt. p. 33.
Christianus quid? p. 21. quis p. 20. 21. recte sentire debet, de Deo, Christo, & homine p. 30. secundum voluntatem & essentiam. p. 185. cognitione non quacunq; sed solida. p. 17. qualis illius fides & confessio? p. 22. Nota illius prima. p. 30. secunda p. 36. tertia. p. 38. convenientia cum fratre. p. 41. differentia ab hæretico. p. 14.
Cæcitas rationis quid sit? p. 90.
Cætui & factioni cuivis nomen aliquod certum imponendum. p. 11.
Cognitio hominis Theologicè considerati in quatuor consistit. p. 37.
Connata & generalia principia in causa fidei quatenus admittantur. p. 58.
Communitas actionis non infert communitatem nominis. p. 199.
Condemnationis fundamentum p. 125. causa impellens 126. finis & intentio. p. 126.
Confessio quid? p. 22. qualis? p. 23. 24. debet esse conjuncta cum fide. p. 22.
Confiteri Christum quid sit? p. 40.
Conscientiæ testimonium duplex. p. 157.
Contra rationem quid sit? p. 60.

Contradictionis apparentis causa. p. 63
Contrarietas religionis & rationis tantùm est apparens. p. 63
Creatio non destruit axiomata physica. p. 60
Creatura nunquam absolutè dicitur Adon. p. 265
Creatura irrationalis quomodo laudet Deum. p. 23
Cultus divinus rationalis. p. 79. in V. T. ad arcam alligatus. p. 211

D.

Deus est αὐθύπαρκτος p. 207. in omni judicio præsens p. 217. nomen Deus rebus etiam aliis præter Deum verum tribuitur. 240. 241. impropriè tamen p. 132. certo tamen modo soli Deo æterno tribuitur. ibid. in usu primario. p. 151. & singulari. p. 242. unde dicitur solus Deus. p. 241. notæ quando Deo æterno non attribuatur. p. 246. Notæ falsæ photinianorum refutantur. p. 255. 259. additio ad nomen Deus, pacis, charitatis, &c. non facit compositionem sed Dei descriptionem. p. 258. Est autem hoc nomen absolutum, non relatum p. 235. Unde neq; grammaticè neque theologicè potestatem notat. p. 228. sq. sed proprie & per se naturam. p. 230. & essentiam divinam. p. 228. præsertim cum Deo vero tribuitur. p. 231. cùm enim

enim controversia est de Deo vero, tunc de essentia non potestate quæritur. p. 231. 232. hoc nomen aliis non tribuitur propter legationem. p. 201. non enim omnis Dei legatus Deus dicitur vel etiam dici potest. ibid. neq; illi competit in casu recto sed in obliquo. p. 195. 196. Ejus notitia 1. Alia est naturalis alia revelata. p. 148. naturalis quid? p. 148. 151. quòd sit, probatur. p. 148. omni inest homini etiam singulari per se & quo ad actum primum. p. 179. per accidens verò in quibusdam obscuratur. p. 178. 179. Estq; vel insita, vel acquisita. p. 178. acquisita probatur. p. 159. revelata quid? p. 148. non licet argumentari à notitia in primis populorũ fundatorib. ad illorum posteros. p. 176. neq; à positione notitiæ revelatæ, ad negationem notitiæ naturalis. p. 176. non enim sunt oppositæ, sed subordinatæ. p. 174. 176. 2. Alia generalis & rudis, alia salutaris. p. 149. salutaris notitia non est in viribus humanis. p. 149. unde gentibus incognita. p. 187. cum idolomania gentilium consistere nequit. p. 188. sed multò est perfectior cognitione Ethnica. p. 187. quare etiam plus postulat, quàm Photiniani asserunt. p. 187. requirit etiam filij Dei cognitionem. p. 191. 3. Alia essentiæ & propriorum, alia voluntatis. p. 140. Deum Ethnici, quis sit, ignorarunt. p. 189. unde

unde idolomania orta p. 190. Dei veri ignorantia, & falsi Dei fictio sunt causa abominationum Ethnicarum p. 188 190 sq. Negare Deum in corde quid? p. 172. illa negatio non semper fluit ex ignorantia, verum etiam ex malitiosa repugnantiâ. p. 180
Divinæ res innotescunt ex revelatione imperfecta. p. 56
Discipuli Christi ex intione non dijudicarunt mysteria. pag. 72
Discursuum logicorum usus in Religionis negotio quis. p. 55
Docere in cordibus est opus Dei speciale. p. 87
Dogmata fidei non ex solo sensu literali, sed etiam ex figurato, mystico, & parabolico stabiliuntur. p. 99

E.

Ecclesiæ ac fidei fundamentum est Christus. p. 31
Elohim quomodo dicatur de Deo æterno? p. 205
Error est duplex, vel de fide, vel circa fidem. p. 124. 136. error de persona Christi tollit fidem & Christianismum. p. 32 sq.
Ethnici ignorarunt, quis sit ille Deus, quem esse cognoscebant. p. 189. Distinguuntur ab hæreticis. p 24

Expressè in S. scriptura poni, quid? p. 120

F.

Facultas ratiocinandi naturalis non excluditur in religionis negotio. p. 53
Fides Christianorum qualis? p. 22. *fidei dogma non solum ex sensu scripturæ literali, sed etiam mystico, figurato & parabolico stabiliri potest.* p. 100. *fidei normā scripturā esse verbis Photiniani dicunt, factis verò negant.* p. 5. *fidei fundamentum evertunt.* p. 4. *quod nos statuimus Christum.* p. 21. *fidei consequendæ requisita.* p. 91. *ejus mysteria non intelligimus.* p. 63. *rationem in fidei capitibus consulendam negant Photiniani.* p. 75. *imperfectio fidei duplex.* p. 27
Figuratus scripturæ sensus fidei dogma probare potest. p. 99. *in sermonem simplicem est resolubilis.* p. 108. *non omnis sensus figuratus est mysticus.* p. 104
Frater & Christianus quid differant. p. 41. *quis pro fratre agnoscendus.* p. 41. *Photiniani pro fratribus agnoscunt Pontificios, Lutheranos Calvinianos &c.* p. 139
Fructus lectionis scripturæ sacræ. p. 84

H.

Hæretici sunt in Ecclesia licet non de Ecclesia p. 24. *differunt à Christianis.* p. 14. *& ab Ethnicis.* p. 24

Demensitivum vocis significationem fortificat. p. 268
Hominis theologicè considerati cognitio in quatuor consistit. p. 37

I.

Idola nunquam dicuntur Aeon. p. 265
Jehova nomen est solius Dei. p. 194. 205. 224. Deus ab ipsum sibi sol. vendicat. 207. Scriptura soli Deo Israelis adscribit. p. 209. sancti soli Deo attribuunt. p. 209. idq; derivatio illius nominis confirmat. p. 206. Jehova absolutè, & in compositione positum, quid differat. p. 225. in compositione consideratum nunquam tribuitur creaturis. p. 222. composita ex Jehova creaturis, non vero Deo tribuuntur. p. 223. Jehovam venerantes Israelitæ cur ad arcam se converterint? p. 212. Ex nomine Jehova Christo tributo veram ejus probari Deitatem negant Photiniani. p. 194
Ignorantia rei theologicæ non gignit contradictionem. p. 62. ignorantia quis fit Deus idolomaniam peperit. p. 590
Illuminatio non est virium naturalium sed S. Spiritus opus. p. 86. soli ergò tribuitur Deo p. 87. duplex est. p. 84. illuminationis S. Spiritus necessitatem fatentur Photiniani. p. 96. medium est verbum Dei. p. 85. attentio sola non illuminat. p. 95. illuminationis impedimenta.

menta. p. 93. Sancti & pij pro illuminatione Deum sunt precati. p. 94.
Imperfectio in fide duplex. p. 27.
Indi aliquam Dei habuerunt notitiam. p. 181.
& plures Deos coluerunt. p. 182.
Inscriptio legis in corda. p. 156.
Intellectus Prophetiarum non requirit spiritum Prophetarum. p. 97.
Invocare nomen alicujus super alterum quid? p. 215.
Irrationalis creatura quomodo Deum laudet. p. 167. 168.
Iudicare quid sit? p. 134.
Iudicium de Religione potest fieri ex negationibus p. 27. rationi nunquam divinitus concessum. p. 65.

K.

Κτίσις *in N.T. quid significet.* p. 163.
Κύριος *modò æquivalet nomini Jehova, modò Adon. p. 260.* κύριος *& Adon quo ad usum grammaticum æquivalent p. 263. De Iehova semper dicitur cum articulo, de Christo verò sine articulo, falsum est. p. 274. proprie & primò dicitur de Deo æterno. p. 271. quando & quomodo p. 205. sententia Photinianorum hac de re.* p. 261.

L.

Legato tribuitur nomen legantis, obliquè tantum. p. 196. *Dei legati non gerunt nomina mitten-*

mittentis propria in casu recto. p.196. neq; diversum probare possunt Photiniani. p.201. nec omnis Dei legatus Deus vel dicitur vel dici potest. p.201.

Lex qualiter in corda gentilium scripta. p.156.
Sibi ipsi est lex: *quid significet. ibid.*
Literalis scripturæ sensus quid? p.100.
Logicorum discursuum quis sit usus in religionis negotio. p 55.

M.

Medium illuminationis est verbum Dei. p.85.
Mortuorum resurrectio quomodo supra vel contra rationem. p 60.
Mysteria ratio per se non intelligit. p. 63.
Mysticus sensus quis. p.101. consideratur tum ratione causæ efficientis tùm formalis. p.101.

N.

Naturæ duæ completæ possunt subsistere in uno supposito. p. 61.
Necessaria ad salutem non omnia in scripturis ῥητῶς habentur. p. 109.
Nomina propria per compositionem in alia nomina degenerant p. 222. fiunt communia. ibid. officiorum, quæ per multa individua non multiplicantur, sunt incommunicabilia. p.196.

Nomen alicujus invocare super alterum, quid sit? p. 215

O.

Opinio privata quænam? p. 45. *toti cœtui non imputanda.* p. 44. *potest fieri publica.* 46. *Photiniant unius quæ est, quomodo dicatur* Photiniana? p. 48. *est Photinianis prætextus, sub quo incautos seducant.* p. 44. 45

Opinionibus variare non est libertatis Christianæ effectus. p. 136

Opera pietatis Spiritum S. authorem habent. p. 92.

P.

Plura unius vocis possunt esse significata. p. 237

Pluralitas personarum in Deo quomodo probetur? p 54

Photiniani fidei fundamentum evertunt. p. 4. *quare non sint habendi pro fratribus.* p. 16. *sed pro hæreticis.* p. 11. 16. *indifferenter quoscunque pro fratribus habent.* 139. *eorum versutia in interpretandis scripturis.* p. 82. *eorum scripta à toto cœtu approbantur.* p. 47. *De nomine* θεος *statuunt valde trepidè.* p. 226. *ipsorum opinio de nominibus Adonai &* κύριος. 261. *quomodo profiteantur solum patrem verum Deum.* p. 8.

Principia dogmati, cui inserviunt, debent esse homo-

homogenea. p. 57. theologiæ & philosophiæ cur pugnare videantur. p. 63. Theologica sunt duplicia. p. 4. Rationis principia aliæ sunt universalia, alia particularia. p. 57. universalia quousque in theologiam admittenda. ibid. principia cognitionis generalia non rejiciuntur in causa fidei. p. 53. specialia verò in theologia non sunt certa. p. 58. quomodo ergo adhibenda. ibid. principiorum rationis ad theologiam applicatio, theologiæ subjicienda est. p. 58. 62.
Propheticus Spiritus quid? p. 97. non est necessarius ad intelligendos Prophetas. p. 97.
Φύσει facere τὰ νομικὰ quid. p. 154.

R.

Ratio quid denotet? p. 53. ejus principia alia sunt universalia alia particularia. p. 57. universalia quousq; in theologiam admittenda? p. 57. specialia quomodo recipienda. p. 58. non enim in theologia certa p. 58. eorum applicatio theologiæ subjicienda. p. 58. 62. rationis usus in theologia quis? p. 53. 56. 59. ratio humana naturalis est cæca in spiritualibus. p. 90. cæcitas ejus quid? p. 90. quare per se non intelligat mysteria? p. 63. destituitur principio θεϊκῷ in rebus fidei. p. 66. ratio captivanda. p. 69. & in rebus

fidei compescenda p. 69. secundum Photinianos est judex dogmatum absolutè. p. 49. per hoc judicium quædam fidei dogmata respuunt. p. 50. & articulum fidei esse negant qui rationi contrariatur. p. 53. verùm, nusquam judicium rationi divinitus fuit concessum. p. 65. neq; Christus ex ratione judicavit p. 72. & qui eam sunt secuti errarunt. p. 72. absurda enim infinita & in Philosophiam & in Theologiam introducit. p. 73. ipsi Photiniani in aliquibus causis Theologicis rationem non audiendam esse fatentur. p. 56. quare etiam in ijs rationem consulendam esse negant. p. 75. repugnat doctrinæ cœlesti p. 67. 90. quando quid contra rationem esse, statui debeat? p. 60. Nullum Theologiæ effatum est contra rationem, verè. p. 61. sed tantum apparenter p. 63. quomodo ergo antitheses Theologiæ & Philosophiæ conciliandæ? p. 61. Adversarij ex rationis fundamento agentes, quomodo ex eodem confutandi. p. 55.

Ratiocinandi facultas naturalis non excluditur à religionis negotio. p. 53.

Rationabiliter quomodo Christus docuerit. p. 80.

Religio etiam ex negationibus judicari potest. p. 27.

Repugnare, quid significet? p. 67.

Resurrectio mortuorum partim est supra, partim contra rationem. p. 60.

Res

Res divinæ innotescunt ex revelatione imperfecta. p. 56.

S.

Sancti & pij pro illuminatione Deum sunt precati. p. 94.

Scriptura S. quid? p. 84. *non omnia ad salutem necessaria ῥητῶς continet.* 109. *Photinianorum versutia in ejus interpretatione.* p. 82.

Sensus scripturæ unicus quis? p. 101. *dogmata fidei non solùm literalis, verum etiam figuratus, probat.* p. 99. *mysticus quis?* p. 101. *consideratur tum ratione causæ efficientis, tùm formalis. ibid. omnis mysticus est figuratus, non contrà.* p. 104.

Spiritus Sanctus tùm cognita, tum incognita docet. p. 88. *Operatur illuminationem* p. 86. *& assensum.* p. 89.

Spiritus Propheticus quid? p. 97. *non est necessarius ad intelligenda scripta prophetica. ibid.*

T.

Θεὸς *non videtur derivatum sed primitivum* p. 229. *sine articulo sæpe attribuitur* DEO *summo.* p. 252. 254. *sicuti etiam prædicati loco positum.* p. 256. *sq. cum articulo etiam usurpatur de falsis dijs.* p. 255. *compositionem cùm ingreditur, non fit commune Deo & creaturis.* p. 224.

Tria

Tria possunt esse unum. p. 61

V.

Verbum Dei est medium illuminationis. p. 85
Vocis unius plura possunt esse significata. p. 237. *de ea verò judicium fieri debet ex significatu primario.* p. 237. *primaria vero acceptio non judicanda ex accidentali & secundaria.* p. 230
Unum potest esse tria. p. 61
Usus rationis in theologia quousq; admittendus, vel non. p. 53. 56. 59



Errata

Errata, quæ inter relegendum occurrerunt, lector benevolus sic corrigat:

Lege pag. 49. lin. 13. *non* pag. 65. lin. 11. *susceptam disputationem*. pag. 69. lin. 15. *facultatum*. pag. 96. lin. 8. *illuminationis*. pag. 121. lin. 16. ERROR VIII. pag. 136. lin. 18. ERROR IX. pag. 205. lin. 4. *transierint*. pag. 218. lin. 9. *Act*. 7. *v*. 30. pag. 249. lin. 2. *divinitus*.

Cœtera pro suo candore.







Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn768664373/phys_0307
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn768664373/phys_0308
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768664373/phys_0309
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn768664373/phys_0310
DFG

31. Antecedentia cum co
bus, extrema cum medijs, &
mis prima si comparentur:
inter se & singularum part
rentia observertur: Si cujus
bri scopus proprius, si omn
munis exquisitius notetur:
quo dictum sit conclusumq
nam ex se iterum aliud gig
cendum concludendumve
tur: si quid inter se collata sin
vniversa comprehensa largi
curata analysi perquiratur, o
cumstantiæ perpendantur,
genuimus scripturæ sensus
non difficulter invenietur.

32. Quæ diversis in locis d
traduntur comparanda inte
quæ obscuriora sunt, clario
straṅda.

33. Si aliquo in loco aliqui

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 092
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
mm Inch

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768664373/phys_0311
DFG